DE
HOMOEOTELEUTIS QUIBUSDAM TRAGICORUM ET CONSONANTIIS REPETITIONE EIUSDEM VOCABULI AB AESCHYLO EFFECTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII M. MAI A. MDCCCLXXXI HORA XII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS HERRMANOWSKI
BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
R. MICHAELIS, DR. PHIL.
H. MORSCH, DR. PHIL.
A. MÜLLER, DR. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT TH. HABERLANDT.

§. 1.

Pulchre et oratorie dicere, inquit Cicero[1]), nihil est aliud nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere. Et nec sententia ulla est, quae fructum oratori ferat, nisi apte exposita atque absolute, nec verborum lumen apparet nisi diligenter collocatorum. Collocanda igitur sunt verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis eaque sint quam suavissimis vocibus, aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum, aut ut comprehensio numerose et apte cadat. Rerum verborumque iudicium prudentiae est, vocum autem et numerorum iudices sunt aures, quarum iudicium est superbissimum. Illi satis est intellegere, hae delectari volunt. Duae sunt autem res, quae permulceant aures, sonus et numerus. Numeris utuntur poetae, quamobrem hos cum voluptate audiri Cicero[2]) probat. Ac ne oratores quidem numeros aspernati sunt. Formae vero quaedam sunt orationis, in quibus ea concinnitas est, ut sequatur numerus necessario. Nam cum aut par pari refertur aut contrarium contrario opponitur aut quae similiter cadunt verba verbis comparantur, quidquid ita concluditur, plerumque fit ut numerose cadat[3]). Plerumque cum his formis concentus quidam verborum coniunctus est, quam consonantiam et oratores et poetae interdum non modo non vitiosam vel insuavem, sed etiam venustam atque iucundam habuerunt. Datur enim venia concinnitati sententiarum, et arguti certique et circumscripti verborum ambitus conceduntur, de industriaque, non ex insidiis sed aperte ac

---

1) Orat. 68, 227. 2) Orat. 52, 174. 3) Cf. Orat. 65, 220.

palam, elaboratur, ut verba verbis quasi dimensa et paria respondeant, ut crebro conferantur pugnantia comparenturque contraria et ut pariter extrema terminentur eundemque referant in cadendo sonum[4]).

§. 2.

Versus veterum Graecorum in mensura syllabarum longarum et brevium sive in quantitate positi sunt, recentiorum autem linguarum quantitatem neglegunt, syllabas modo numerant, secundum accentus metiuntur secundumque eos scansionem instituunt. Itaque nunc poetica ars musica quadam lege praedita est atque consonantia quadam utitur ne dicam indiget, quae accedit ad rhythmicum illum motum, quo universa poesis a prosa oratione dignoscitur. Imprimis consonantia finalis seu rimus nostra aetate dominatur: quam rationem consulto et de industria primus in linguam Theodiscam induxit Otfridus Weissenburgensis. —

Non meum est de origine huius artificii in universum exponere, satis est nonnullis locis demonstrare cum poetas tum tragicos Graecos consonantiam illam non modo non fugisse sed etiam interdum expetivisse scilicet non eisdem causis adductos, quibus coacti poetae nostri huic rationi student.

§. 3.

Dramata Graeca, quoniam in iis carmina multa eademque maximi momenti sunt, non tam tragoediis nostris vel comoediis similia sunt quam poematis illis scaenicis, quae lyricam habent naturam et dramata melica sive „Opern“ vocantur. Atqui nostris temporibus in lyricis praecipue carminibus vel in poematis universis, quae ad chordarum sonum cantare licet, tamquam aurium gratissimo blandimento poetae utuntur homoeoteleuto. Raro autem ne dicam nunquam in fabulis Graecorum loci inveniuntur, ubi quasi modi musici melodiam quandam atque consonantiam desideravisse videantur, ut

---

4) Cf. Orat. 12, 38.

Aesch. Sept. 886 seq. σιδαρόπλακτοι μὲν ὧδ' ἔχουσιν
σιδαρόπλακτοι δὲ τοὺς μένουσιν
Eurip. Iphig. Taur. 219 seq. βωμοὺς οἰκτράν τ' αἰαζόντων
αὐδὰν οἰκτρόν τ' ἐκβαλλόντων[5])

Immo ubicunque versus similiter desinentes composuerunt poetae scaenici Graeci eiusmodi consonantiis, quae apud nos usitatae sunt sed veteribus insolentes videbantur, non tam aures mulcere quam sicut dissonantia quadam musica animos auditorum aptare voluerunt ad singularem quandam vim et sententiam loci facilius percipiendam.

§. 4.

Imprimis poetae scaenici praecipue comici risus excitandi causa verborum consonantia finali usi sunt, ut

Aristoph.[6]) Nub. 711 seqq. καὶ τὰς πλευρὰς δαρδάπτουσιν
καὶ τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν,
καὶ τοὺς ὄρχεις ἐξέλκουσιν,
καὶ τὸν πρωκτὸν διορύττουσιν,
καί μ' ἀπολοῦσιν.
Ach. 30 seq. στένω, κέχηνα, σκορδινῶμαι, πέρδομαι
ἀπορῶ, γράφω, παρατίλλομαι, λογίζομαι.
Vesp. 65 seq. ὑμῶν μὲν αὐτῶν οὐχὶ δεξιώτερον,
κωμῳδίας δὲ φορτικῆς σοφώτερον.

et aliis multis locis quos enumerare longum est. Comoediis autem similiores quam tragoediis fabulae satyricae fuerunt. Neque igitur dubitari potest, quin in iis exempla illius modi fuerint permulta. At una fabula satyrica nobis tradita est integra, Cyclops Euripidis. Atque hic, ubicunque reperiuntur, versus similiter exeuntes risus excitandi causa conformati videntur, ut 203 seq.

οὐ κρόταλα χαλκοῦ τυμπάνων τ' ἀράγματα.
πῶς μοι κατ' ἄντρα νεόγονα βλαστήματα;

---

5) In describendis versibus Aeschyli et Sophoclis numeros adieci editionis Hermannianae, in Euripideis editione Kirchhoffiana usus sum. 6) In citandis versibus Aristophanis secutus sum editionem Bergkianam.

quibus versibus Euripides Cyclopem suum, qui hic primum in scaenam prodit, illico ludicre blaterantem inducit.

Eodem consilio compositi sunt vv. 186 seqq.

ἰδοὺ τάδ' ὑμῖν ποιμνίων βοσκήματα
ἄναξ 'Οδυσσεῦ, μηκάδων ἀρνῶν τροφαί,
πηκτοῦ γάλακτός τ' οὐ σπάνια τυρεύματα.

quos versus Silenus pronuntiat ex antro Cyclopis cibaria Ulixi admoliens, ut plus eius clari vini accipiat, cuius si unum poculum plenum haberet, se (163) πάντων Κυκλώπων βοσκήματα advenis daturum esse pollicitus est. Similem in modum poeta in versibus 207. 212. 216. verborum consonantiam finalem usurpasse videtur. Cyclops enim, homo edax, qui venatum iverat, ubi rediit, statim immoderatam suam cibi et potionis aviditatem explere cogitat atque cum satyros tumultuantes et bacchantes videat, id unum timet, ne non satis penui providerint. Itaque hospites nequaquam animadvertens, diligenter et anxie deinceps ex satyris exquirit, num quid praetermiserint: quas quaestiones quo magis ridiculas haberet ille, Euripides eos versus, quibus aliam novam curam exprimit Cyclops, verbis similiter cadentibus terminavit:

207. πλήρωμα τυρῶν ἐστιν ἐξημελγμένον;
212. ἄριστόν ἐστιν εὖ παρεσκευασμένον;
216. μήλειον ἢ βόειον ἢ μεμιγμένον;

At quamvis, quidquid ridiculum est, comoediis potius et fabulis satyricis quam tragoediis consentaneum sit, nihilo tamen secius in nonnullis tragoediis praecipue Euripidis loci quidam inveniuntur, ubi consonantiis illis aliquamdiu hilaritas quaedam vel risus captatur, interdum forsitan quo clarius postea elucescat generosa personarum tragicarum virtus. Sed quamquam concedendum est eruditiores spectatorum consilium poetae perspexisse, tamen, quod equidem noverim, Euripides, ut saepe pravae opinationi populi aliquid tribuit, nonnunquam vulgo morem gessisse videtur eo quod personas plebi acceptas atque gratas ex vulgari sensu loquentes vel agentes fecit. Atqui apud Graecos omnium heroum grandissimus idemque iocosissimus Hercules fuit. Maxime eius insana voracitas multum lau-

data est[7]). Ac quamvis in Aeschyli, viri severissimi eiusdemque gravissimi, fabulis nullus locus sit, tamen Sophocles Herculem illum vini amantissimum in Trach. 267 seqq. habet. Neque igitur mirum est, si Euripides Herculis personam per se lepidam interdum sic loquentem et agentem fecit, ut applausum et risum plebis commoveret. Ita in Alcestide, ubi primum gulam suam nimio plus implevit — id quod minister ille ab Admeto ei additus, qui de hospitis moribus parum modestis quasi obstupefactus foras egressus est, narrat et conqueritur — Hercules ipse paulum appotus foras egreditur atque, utpote qui incaluerit vino hilarique animo sit et prompto ad iocandum, moleste fert, quod servus ille, qui aegre tristitiam et dolorem ex Alcestidis morte acceptum saevum advenam celat, vultu est maesto atque morosus: quamobrem eum docere studet artem iucunde vivendi. Monet eum imprimis ut potet: Liberum homines liberare curis. Ad vinum disertus est Hercules ac philosophatur lepide et ascito insolentique sermone utitur. Ut ipso sono verborum multitudo ad risum excitaretur, Euripides Herculem homoeoteleutis utentem fecit 794 seqq.

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται
κοὐκ ἔστι θνητῶν ὅστις ἐξεπίσταται
τὴν αὔριον μέλλουσαν εἰ βιώσεται·
τὸ τῆς τύχης γὰρ ἀφανὲς οἷ προβήσεται
κἄστ' οὐ διδακτόν, οὐδ' ἁλίσκεται τέχνῃ.

Neque dubitandum videtur, quin hoc loco Euripides de industria versus similiter desinentes usurpaverit, quo magis vulgus rideret. Atque id quidem risit hic nec minus de versibus in Euripidis Bacchis a Baccho pronuntiatis 944 seq.

μή σύ γε τὰ Νυμφῶν διολέσῃς ἱδρύματα
καὶ Πανὸς ἕδρας, ἔνθ' ἔχει συρίγματα.

Pentheus enim, qui paulo ante deum repudiavit et contempsit, paulatim per potentiam Bacchi mente alienatus ei amicissimus fit. Auctore deo cultu muliebri atque thyrso ornatus ad temerarium quidque et periculosum paratus est. Bac-

---

7) Cf. Monk. ad Alcest. v. 765.

chari incipit et Bacchis in montibus tumultuantibus arma illaturus magis magisque in rabiem agitur atque deum, qui eum ducit, interrogat, num sibi satis virium sint, ut totum Cithaeronem cum turbis mulierum in humeris positum amoveat: quae verba ludens Bacchus eum per ludibrium versibus illis rogat, ne nympharum nemora sacra neve Panis sedes, ubi tibiis cantet, diruat. Acerba cavillatio in his verbis inest: consonantia finali versus etiam ludicriores vel mordaciores redduntur. Vulgus certe risit, quamvis in animis spectatorum eruditiorum iis quae Bacchus faceta dixit atque aculeata, metus potius et miseratio quam irrisio Penthei excitata sit. Eodem consilio Euripides in eadem fabula vv. 1063 et 1084 pariter terminavit, quos nuntius sortem Penthei referens pronuntiat. Ludicre narrat Bacchum, cuius numen miraculis abundat, abiete nullo negotio reflexa Pentheum adduxisse, ut, priusquam arbor recelleret, ramis insideret, unde sublimis mulieres bacchantes facilius et commodius circumspiceret. Quem statum regi parum aptum et indecorum ut comice verbis exprimeret et effingeret nuntius in clausulis versuum illorum easdem voces iterat:

1063. ἔχουσα νώτοις δεσπότην ἐφήμενον
1084. ὡς δ᾽ εἶδον ἐλάτῃ δεσπότην ἐφήμενον

quae repetitio praesertim narrationi nuntii haud inepta est, quoniam hae narrationes in universum ad epicae poesis similitudinem factae sunt[8]).

Neque vero magis risus quam miseratio movetur in Euripidis Iphigenia Taurica versibus his similiter cadentibus, quos agrestis ille vir pronuntiat ingentem vim morbi, qui Orestem adortus erat, describens: advenam illum per insaniam mugitus boum et canum latratus vocasse ululatus Furiarum: 285 seq.

φθογγάς τε μόσχων καὶ κυνῶν ὑλάγματα,
ἅς φάσ᾽ Ἐρινῦς ἱέναι μιμήματα

ubi cum Badhamo pro ἅς φάσ᾽ legam ἅ ῎φασκ᾽ et cum Nauckio μυκήματα pro μιμήματα. — Cum his conferri possunt versus illi

---

[8]) Cf. Hermann. praef. Bacch. p. IX.

Sophoclei, quibus Minerva Aiacem mente captum non minus irridendum quam miserandum facit:

Ai. 62 seqq. τοὺς ζῶντας αὖ δεσμοῖσι συνδήσας βοῶν,
ποίμνας τε πάσας ἐς δόμους κομίζεται,
ὡς ἄνδρας, οὐχ ὡς εὔκερων ἄγραν ἔχων,
καὶ νῦν κατ' οἴκους συνδέτους αἰκίζεται.

Apud Sophoclem hoc unum exemplum inveni, ubi per versus similiter exeuntes aliquid ludicre dicitur, apud Aeschylum, cuius tragoediis omnino iocus exclusus est, nullum.

§. 5.

Sed aliis de causis ab his tribus poetis versus similiter desinentes de industria nonnunquam compositi esse videntur.

Antithesis gratia enim homoeoteleuta libenter adhibentur, quo significantius contraria contrariis opponantur, ut

Eurip. Heraçl. 541 seq. οὐδ' αἰσχύνομαι
τοῖς σοῖς λόγοισι, τῇ τύχῃ δ' ἀλγύνομαι.

Cf. Alc. 642 seq. Rhes. 570 seq. El. 1044 seq. Herc. Fur. 623 seq. Hec. 287, Hel. 403 seq. Andr. 600 seq. 1142 seq. Or. 1143 seq. Phoen. 359 seqq. 381 seq.

Sophocl. Antig. 272 seq.

ἦν δ' ὁ μῦθος, ὡς ἀνοιστέον
σοὶ τοὔργον εἴη τοῦτο, κοὐχὶ κρυπτέον.

Cf. Ai. 550 seq. 1248 seq. El. 1157 seq. Oed. Col. 306 seq.

Aeschyl. Prom. 1034 seq.

πρὸς ταῦτα βούλευ' ὡς ὅδ' οὐ πεπλασμένος
ὁ κόμπος, ἀλλὰ καὶ λίαν εἰρημένος.

Cf. Prom. 240 seq. 828 seq. 1041 seq. Sept. 214 seq. Ag. 312 seq. Choeph. 838 seq. 888 seq. 894 seq. Eum. 692 seq.

Hoc loco stichomythias commemorari par est, quae formae dialogi, cum in iis per se antithesis quaedam posita sit[9]), ob eam ipsam rem homoeoteleutis ornatae sunt saepissime, ut

---

[9]) Cf. Gottschall, Poetik I, p. 277, 4. Aufl. Bresl. 1877.

Eurip. Iph. Aul. 1442 seq. Alc. 61 seq. 1114 seq. 1132 seq. Troad. 719 seq. El 963 seq. Ion. 333 seq. Hec. 996 seq. Andr. 434 seq. Or. 1587 seq. Phoen. 719 seq.

Sophocl. Phil. 100 seqq. 121 seq. Antig. 740 seq. 766 seq. Oed. R. 577 seq. 581 seq. Ai. 80 seq. El. 782 seq. Trach. 402 seq. 412 seq.

Aeschyli Ag. 905 seq. Choeph. 108 seq. 169 seq. Eum. 738 seq. Sept. 238 seq.

At ad superiora illa exempla antithesis, in quibus homoeoteleuta leguntur, redeamus: cum eiusmodi contrariis enim saepe sententiam quandam proverbialem coniunctam esse invenimus: quam poetae aut ita iam usu formatam receperunt aut primi figura illa ornaverunt, quo facilius ab imperitis teneretur, ut

Euripid. Iphig. Aul. 923 seq. ἔστιν μὲν οὖν ἵν' ἡδὺ μὴ λίαν φρονεῖν
ἔστιν δὲ χὤπου χρήσιμον γνώμην ἔχειν

Cf. El. 372 seq. Hel. 921 seq. Phoen. 464 seq.

Sophocl. Oed. R. 110 seq.

τὸ δὲ ζητούμενον
ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον

Cf. Antig. 709 seq. Ai. 646 seqq. 1085 seq.

Apud Aeschylum, patrem illum tragoediae, quippe qui primus vera dramata pepererit et dialogum instituerit, nullum eiusmodi exemplum inveni. Ac ne in fine quidem orationum, ubi et Aeschylus et ceteri tragici vel scaenici poetae sententiis generalibus uti solent, ad has ornandas homoeoteleuta adhibuit. Constat autem ex more tragicorum fieri quod oratio praesertim in fine scaenae loco communi concluditur: cuius rei exempla tam frequentia sunt, ut putandum sit poetas hoc consulto quaesivisse[10]). Nec quare id fecerint, obscurum est. Sic non modo scaena aut oratio multo gravius peroratur sed etiam saepe, cum praesertim continuo cantica chori sequantur, quasi argumentum ponitur, de quo agat.

In his autem locis saepe homoeoteleuta ab Euripide et Sophocle usurpata esse, non iam mirabimur.

---

10) Cf. Hermann. ad Sophocl. Ai. 798 seq. et ad Eurip. Orest. 303.

Ita in Euripid. Phoen. 1483 seq.

πόλει δ' ἀγῶνες οἱ μὲν εὐτυχέστατοι,
τῇδ' ἐξέβησαν, οἱ δὲ δυστυχέστατοι,

his versibus et narratio nuntii, qui verbose Iocastae, Eteoclis Polynicis mortes et victoriam a Thebanis reportatam exposuit, et scaena finitur. Continuo enim ex illo dicto initium capit lugubre illud carmen, quo soror et chorus fratres occisos prosequuntur. Item sententia illa Med. 411 seq.

γυναῖκες, εἰς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

et scaena et oratio concluditur, qua Medea mulieribus Corinthiis, ex quibus chorus constat, obscure significat, quas poenas a Creonte et Iasone et Glauce repetitura sit. Atque consonantia finalis versus hos acriores reddit, quibus Agamemnon orationem terminat Hec. 1228 seq.

ἀλλ' ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ
πράσσειν ἐτόλμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα,

ubi quasi sententia generalis in specialem casum translata est simulque gravius contraria contrariis opponuntur.

Cf. Andr. 679 seq. Med. 316 seq. Alc. 566 seq.

Cum his in Sophoclis Philocteta conferri possunt versus illi similiter desinentes, quibus Neoptolemus orationem suam finit, qua indolem suam et animum Ulixi aperit 94 seq.

βούλομαι δ', ἄναξ, καλῶς
δρῶν ἐξαμαρτεῖν μᾶλλον, ἢ νικᾶν κακῶς.

Cf. Oed. R. 314 seq. Antig. 718 seq.

Apud Aeschylum nullum eiusmodi exemplum, ut supra dixi, certe in iis fabulis, quae nobis integrae traditae sunt, invenitur ac dubitari potest, num in ceteris talia scripta sint a poeta. Nam et primus dialogum instituit, ut non sententias usu formatas a prioribus poetis mutuari potuerit, et in universum apud Aeschylum, ut vidimus, pauca exempla leguntur, ubi homoeoteleuta consilio quodam et de industria a poeta usurpata videntur. Neque autem consulto homoeoteleuta usurpata esse arbitrandum est nisi ea, ubi voces oppositae non modo pariter terminatae sed etiam eiusdem classis sunt. Atque

haec, etiamsi Pers. 170 seq. 246 seq. Sept. 37 seq. Eum. 64 seq. superioribus locis adicimus, apud Aeschylum multo rarius, ut vidimus, inveniuntur quam apud Sophoclem et Euripidem, qui quasi oratorium illud ornamentum primi in dialogum fabularum de industria induxisse videntur. —

§. 6.

Consonantias autem repetitione eorundem vocabulorum effectas Aeschylus haud raro usurpavit atque ad has repetitiones nunc transeamus. Primum ea exempla afferam, quae versibus illis similiter desinentibus simillima sunt: eos locos percensebo, ubi continui versus pariter desinunt: quae consonantiae tangentes (rührende oder reiche Reime) vocantur et a nostris poetis omnibus temporibus vitatae ne dicam vetitae sunt[11].

Eadem eiusdem vocis forma duo continentes versus terminantur:

Sept. 979 seq. πρὸ πάντων δ' ἐμοί
καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί.

Ag. 1228 seq. ἰδοὺ δ', Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ
χρηστηρίαν ἐσθῆτ'· ἐποπτεύσας δέ με

ubi Weilius ἐποπτεύσας γ' ἐμὲ scripsit sed melius, opinor, Heimsoethius[12]) ἐποπτεύσας τέ με coniecit.

Ag. 1246 seq. ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν· οἳ δ' εἶχον πόλιν,

ubi Weilius εἷλον pro εἶχον sumpsit „ex Musgravii emendatione non solum pulchra sed necessaria."

Choeph. 235 seq. ὦ τερπνὸν ὄμμα, τέσσαρας μοίρας ἔχον
ἐμοί. προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον

---

11) Cf. C. Fr. Meyer, de theotiscae poeseos verborum consonantia finali, Berol. 1845. 8. p. 41 seq. 12) Wiederherstellung der Dramen des Aeschylus, p. 92.

ubi sententias Weilii (ad v. 229) et Heimsoethii (Wiederh. p. 166) secutus Valckenarii coniecturam ὦ τερπνὸν ὄνομα, quam Hermannus recepit, ut invenustam repudiavi. Immo cum Wellauero[13] ὄμμα multo blandiorem et pulchriorem allocutionem existimo, sed eundem recte in alterius versus clausula ἔχον librorum cum Hermanno retinuisse nego. Apertum enim est — id quod Schmidtius[14] probat — participium illud errore librarii, qui ad versum antecedentem aberravit, in versum 236 illatum esse: quamobrem mihi recte Weilius ἐμὸν coniecisse videtur, quod Prieni emendationi ἀναγκαῖόν σε νῦν praefero. Deinde Cho. 759 seq.

ἄνωχθ' ὅσον τάχιστα γηθούσῃ φρενί.
ἐν ἀγγέλῳ γὰρ κρυπτὸς ὀρθώσῃ φρενί.

ubi omnes consentiunt librariorum incuria postrema vocabula repetita esse: id quod maxime apparet ex Aldina, ubi uterque versus pariter exit in θούσῃ φρενί. Quare praeferenda videtur lectio ab Eustathio et scholiasta ad eundem versum Iliadis XV, 207 servata, ὀρθοῦται λόγος, quam Porsonus auctore Musgravio restituit atque Hermannus, Weilius, Kirchhoffius, alii receperunt. Depravatum autem τάχιστ' ἀγαθούσῃ φρενί codicis Medicei iam Turnebus mutavit in τάχιστα γαθούσῃ, pro quo dorismi vitandi causa Pauwius, Weilius, Dindorfius, alii γηθούσῃ scripserunt. At Hermannus, quia γηθεῖν non dixissent Attici nisi in perfecto et plusquamperfecto, proposuit τάχιστά γ' εὐδούσῃ φρενί, quod refellit Welckerus. Verissime igitur ex sententia mea Heimsoethius (Wiederh. p. 61) emendavit: τάχιστ' ἀγασθείσῃ φρενί, qui eodem loco sine causa κρυπτὸς mutavit in κυπτὸς, nisi error typographicus putandus est, praesertim cum id adiectivum nusquam alibi inveniatur. Neque enim quisquam praeter Hesychium eius vocis mentionem facit atque hoc ipso loco dubium est an potius κύπτον participium verbi κύπτειν legendum sit. Tum Cho. 990 seq.

ὡς τόνδ' ἐγὼ μετῆλθον ἐνδίκως μόρον
τὸν μητρός· Αἰγίσθου γὰρ οὐ ψέγω μόρον.

---

[13]) „Commentationum Aeschylearum specimen" Vratisl. 1819. 8. p. 9. [14]) L. Schmidt, über die Wiederholung desselben Wortes bei Aeschylos, in d. Zeitschr. f. d. Gymnasialw. N. F. II. 1868. p. 647.

ubi recte, si quidem alterum μόρον servatur, Turnebus ex scholio restituit λέγω. Sic enim oratoria quadam arte eaedem voces in eisdem locis continuorum versuum collocatae sunt. Nam quod Soli στέγαστρον illud (v. 986), in quo obtruncatus erat Agamemnon, monstrandum esse putat, ut testetur deus matris caedem iuste a se perpetratam esse, eo ipso declarat Orestes videri sibi inesse aliquid matris caedi, quod reprehendi posset, nisi tantum flagitium praecessisset: apte igitur dicit: matris caedem (μόρον) iuste commissam esse, testetur Sol: Aegisthi enim caedem nullo pacto vel vocari posse μόρον, sed potius poenam debitam et iustam esse dicendam. Sin autem quis sententiam Heimsoethii[15]) comprobans arbitratur pro altero μόρον esse restituendum πότμον, melius ψέγω Medicei et ceterorum librorum retinetur. Sic: matris tantum, inquit Orestes, caedem iuste factam esse, testetur Sol, Aegisthi enim necem nullo pacto reprehendere possum, eius nunquam me poenitebit. Neque autem, si ita scriptum est, necesse erat eandem vocem μόρον quasi rhetorice repeti, quoniam oratorium robur non tam in notione μόρον quam in oppositis personis μητρός et Αἰγίσθου versabatur. Mihi quidem scriptura Turnebi ab Hermanno et Kirchhoffio recepta praeferenda esse videtur: quam eandem, opinor, Schmidtius quoque (p. 653) probat. Neque autem ullam causam aut excusationem repetitionis affert, sed hunc locum in iis exemplis numerat, ex quibus cognoscatur Aeschylum trimetros pariter exeuntes non fugisse.

In talibus illos quoque versus Ag. 1246 seq. ponit. At quamvis concedam ceteros locos, quos ille ibidem commemorat, idoneos esse quibus probetur poetam in clausulis versuum paulo distantium nonnunquam sine ullo consilio oratorio easdem voces repetivisse, tamen id sine causa in fine continentium versuum factum esse nego. Neque enim ulla pars versus attentius auditur quam extrema. Ut in oratione pauci prima cernunt, postrema plerique ob eamque rem clausulas diligentius

---

[15]) „Kritische Studien zu den griechischen Tragikern". Bonn 1865. I. p. 137.

etiam servandas esse oratores[16]) arbitrati sunt quam superiora, ita in versu praecique in iambico et ceteris omnibus, qui non tam descendunt quam ascendunt, numerus animos quasi ad finem cogit, ubi se colligant. Notatur igitur maxime similitudo in conquiescendo. Quae cum ita sint, mihi persuadere non possum Aeschylum temere eadem vocabula in clausulis continuorum trimetrorum repetivisse, praesertim cum recorder aures veterum praecipue Atticorum teretes et religiosas fuisse: id quod Cicero Or. 9,27 testificatur. Atque idem de orat. III, 51,198 ait: „Ut in versu vulgus, si est peccatum, videt: sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit; sed poetae non ignoscit, nobis concedit“ et Or. 51,173: „In versu quidem theatra tota cxclamant, si fuit una syllaba aut brevior aut longior.“ Cf. de orat III, 50,196 et Parad. III, 2,26. — Itaque ubicunque apud Aeschylum, quem Cicero quoque in clarissimis poetis numerat (de orat. III, 7, 27), inveniuntur tales repetitiones aut oratorio quodam consilio effectas aut aliis quibusdam modis excusandas aut, si neutrum fieri potest vel putari, emendandas esse arbitror. Quamobrem iam repetitiones Choe. 236 et 760 delendas esse censui et nunc in Agamemnone versus 1246 et 1247, ubi πόλιν in clausulis repetitum est, depravatos iudico. Neque enim existimari potest ullum oratorium robur vocabulo πόλιν bis posito sententiis illis adici. Immo nihil est quod haec vox eo loco tantopere prematur. Ac ne sententia quidem loci illius, nisi verba mutamus, satis bona ac perspicua est. Cassandra enim, postquam mortem Agamemnoni imminentem et fata domui Atridarum impendentia vaticinata est, hos, si libros sequimur, versus pronuntiat: 1245 seqq.

τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω,
ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν· οἳ δ' εἶχον πόλιν,
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει;
ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

In primo versu κάτοικος corrigendum esse omnes fere con-

---

16) Cf. Cic. de or. 50, 192 et Quintil. IX, 4, 60 seqq.

senserunt. Rectissima mihi Hermanni coniectura μέτοικος videtur, nisi forte κατοικὰς scribendum est, quae vox idem fere significat quod μέτοικος. Sequentes autem versus errore describentis depravatos esse existimo. Quid enim dicunt verba: ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον, quibus nihil posterius opponitur? Quam non aptum id esset, iam Heathius intellexit, qui eadem re adductus in v. 1249 ἰοῦσα πράζω· τλήσομαι mutasse videtur in ἰοῦσα κἀγὼ τλήσομαι. Equidem mendum alibi quaesivi. In sono enim verborum εἷλον — πόλιν, quae Aechylum habuisse credo pro εἶδον — πόλιν librorum, quasi inhaerescens librarius in altero versu mihi scripsisse videtur οἳ δ' εἶχον πόλιν. Postea iam ob hanc vocem εἶχον in antecedente versu pro tertia persona pluralis εἷλον ad sequens οἵδε spectante coniciebatur εἶδον prima persona singularis ad ἐγὼ respiciens. Quod si verum est, suspicor Aeschylum in fine v. 1247 collocasse οἵδε τοὔμπαλιν, ut similem in modum in exitu v. 204 Prom. — Totum illum locum igitur ita restituendum esse censeo:

τί δῆτ' ἐγὼ κατοικὰς ὧδ' ἀναστένω;
ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἷλον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν, οἵδε τοὔμπαλιν
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει.
ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.

ut idem subiectum οἵδε et ad εἷλον et ad ἀπαλλάσσουσιν pertineat atque ἰοῦσα πράξω in ultimo versu servari possit significans: decedens defungar vel sortes ad finem perducam: moriar. —

Restant igitur, si quidem Ag. 1228 seq. et Sept. 643 seq. eximimus, cum extremae voces versuum paulo discrepent, duo loci, ubi in clausulis continentium versuum eaedem formae leguntur:

Eum. 570 seqq. ΑΠ σὺ δ' εἴσαγε,
ὅπως τ' ἐπίστᾳ τήνδε κύρωσον δίκην.
ΑΘ ὑμῶν ὁ μῦθος, εἰσάγω δὲ τὴν δίκην.

qui versus nemini in suspicionem veniebant, et

Sept. 979 seq. ΑΝ. πρὸ πάντων δ' ἐμοί.
ΙΣ. καὶ τὸ πρόσω γ' ἐμοί

quos versus antistrophicos Hermannus habet. Sed Weilius et

Heimsoethius (Wiederh. p. 18) hunc locum depravatum putaverunt. Atque Heimsoethius quidem, cum l. c. versum antistrophicum Hermanno auctore retinuisset verba illa librorum metri causa in τὸ πρόσθεν γ' ἐμοί mutans, postea[17]) cum Weilio sententiam Hartungii secutus priorem versum πρὸ πάντων δ' ἐμοί ut verborum sequentium interpretationem compositione strophica sublata eiecit. Neque autem, si Hermanni compositionem servamus, quidquam offensionis habet vox ἐμοί in clausulis duorum illorum versuum repetita. Constat[18]) enim Graecos cum in omni poesi tum in scaenica magno studio aequalem quandam partium comparationem consectatos esse: quae aequalitas maxime in diverbiis et in antistrophicis expetita est. Neque hic modo insignis metrorum et distinctionum concinnitas percipitur, sed id quod multo admirabilius est aequalitas quaedam responsionis ipsis stropharum et antistropharum verbis effecta persaepe apparet ita ut eaedem voces in eisdem respondentium stropharum locis positae sint[19]). Quae cum ita sint, consonantia illa versuum antistrophicorum, qui eadem voce ἐμοί terminantur, nequaquam mira videtur. — Ac ne in diverbio quidem illo Eum. 571 seq. repetitum δίκην iam nos offendit. Priore enim versu Apollo orationem suam perorat, qua Minervam adhortatur, ut causam instituat, altero Minerva rem ad iudices defert. Neque igitur mirum est, si dea quasi respondens et obsequens Apollini ex more recepto usitata formula εἰσάγω τὴν δίκην utens iudicium exercere incipit. Accedit quod diverbio consentaneum est eum, qui sermonem excipit, easdem voces aut sententias, quibus alter usus est, recipere vel repetere[20]): id quod frequentissime in stichomythiis invenitur. Eadem ratione vocabulum λόγον in diverbio illo inter Orestem et chorum facto Cho. 502 seqq. repetitum est, ubi ordinem versuum, quem libri praebent:

---

17) „Die indirecte Ueberlieferung des aeschylischen Textes". Bonn. 1862. p. 23 seq. 18) Cf. Hermann Epit. doctr. metr. § 650. 19) Cf. G. Jacob, de aequali stropharum et antistropharum in tragoediae Graecae canticis conformatione. Berol. 1866. 8. p. 7. 20) Cf. Hermann. ad Euripid. Androm. 576.

ΟΡ. ἄκου', ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα·
αὐτὸς δὲ σώζει τόνδε τιμήσας λόγον.
ΧΟ. καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἐτεινάτην λόγον,
τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.

cum Heimsoethio (Wiederh. p. 169) praefero lectioni Hermanni, qui ultimum horum versuum post v. 503 positum cum duobus illis prioribus Electrae tribuit.

§. 7.

Vidimus igitur, ubicunque duo continentes versus eisdem formis terminati sunt, tales repetitiones aut oratoria quadam arte desideratas esse aut excusationem diverbii vel antistrophicorum habuisse. Atque similem in modum repetitiones in plerisque eorum locorum interpreter, ubi in clausulis versuum distantium eaedem formae leguntur. Ita diverbii excusationem habet vox πατρός in fine Cho. vv. 95 et 97 repetita, ubi cur rationem diverbii sustulerit Hermannus, non satis intellego. Deinde in versibus stichomythicis Cho. 485. 487. 489, qui eadem voce πάτερ finiuntur, vocativus ille repetitus non modo non ineptus videtur sed precationem illam, quam Orestes ad tumulum patris facit, etiam graviorem et sollemniorem reddit. Ac rhetorice ab Electra in exitu vv. 232 et 234 Cho. notio δῶμα πατρός repetitur, ut similiter Suppl. 685 et 687 vox νεώς ac simul opponendi causa Suppl. 926 et 928 δόμους et Ag. 1138 et 1140 νύμφης δίκην atque κύματος δίκην. Relinquuntur, si quidem Sept. 260 et 262 praetermitto, ubi alterum ἐσθήματα falso repetitum esse omnes consentiunt (cf. Schmidt. p. 651), versus pariter exeuntes Sept. 444 et 446.

φιμοὶ δὲ συρίζουσι βάρβαρον τρόπον,
μυκτηροκόμποις πνεύμασιν πληρούμενοι.
ἐσχημάτισται δ' ἀσπὶς οὐ σμικρὸν τρόπον.

atque Sept. 550 et 552

ἀλκήν τ' ἄριστον, μάντιν, Ἀμφίαρεω βίαν·
Ὁμολωίσιν δὲ πρὸς πύλαις τεταγμένος
κακοῖσι βάζει πολλὰ Τυδέως βίαν,

quos versus omnes idem nuntius pronuntiat. Neque autem,

cum praesertim reputemus tales narrationes nuntiorum in universum ad epicae poesis similitudinem factas esse, illic alterum τρόπον cum Prieno et Dindorfio et Heimsoethio (Indir. Ueberl. p. 39) in νόμον esse mutandum censebimus, nedum his Ἀμφιάρεω βίαν et Τυδέως βίαν, quae formae epicum sermonem verissime imitantur, offendamur: quas clausulas — post quinque versus in libris, sed ex coniectura Hermanni (ad v. 559) fortasse rectius post unum versum — sequitur exitus Πολυνείκους βίαν.

§. 8.

Strictim attingo eos locos, ubi versus maiore intervallo disiuncti eisdem formis terminantur, ut in continuata oratione Suppl. 240 et 244 et 250 χθόνα; Ag. 284 et 289 et 296 πυρός, cum praecesserint 280 πυρί et 267 πυρός; Ag. 1240 et 1244 πατρός; 1551 et 1558 πατήρ; 1559 et 1573 πατρί; Cho. 222 et 225 τριχός; 697 et 700 τὰ πρόσφορα; 972 et 975 πατρί; Eum. 3 et 6 ἕζετο et καθέζετο; 436 et 439 μέγα; 675 et 679 τοῦτο βουλευτήριον, si quidem recte Hermannus post v. 674 tres illos versus inseruit, qui in libris post v. 698 leguntur; tum in diverbio Prom. 1038 et 1041 αὐθαδίαν, ubi fortasse alterum αὐθαδίαν interpreti tribuendum est (cf. Herm. ad v. 1041);

postremo in stichomythiis: Suppl. 285 et 288 et 291 βοΐ, Sept. 233 et 237 πόλιν; Eum. 592 et 595 κατέκτανεν;

denique in canticis: Suppl. 809 et 814 ἐπ' ἄμαλα, si quidem Hermannus veram scripturam praebet; Ag. 1469 et 1476 ἀλάστωρ; Cho. 924 βαρύδικος ποινά in stropha, quibus vocibus in antistropha 935 respondent δολιόφρων ποινά secundum legem illam aequalitatis, quam ex dissertatione Iacobi cognovimus. Recte igitur, quamvis non eadem re adductus Schmidtius (p. 653) negat alterum ποινά cum Heimsoethio (Wiederh. p. 88) mutandum esse in Ἄτα.

At equidem dubito an in nullo eorum locorum, quos modo attuli, quia plures versus interpositi sunt, repetitio verborum vel percepta sit neque existimo tales versus, cum maiore intervallo disiuncti sint, quam quorum congruentes exitus sentiantur, in iis exemplis numerandos esse, ubi eisdem vocabulis repetitis consonantia quaedam efficiatur. Ac bene Lehrsius in

epimetris, quibus altera editio libri de Aristarchi studiis Homericis scripti aucta est, p. 471, ubi de repetitione earundem vocum disputat, monet ne quis plus iusto audiat quod videat. —

Praetermisi Cho. 859 et 861, ubi τελουμένου in fine alterius versus vitiose ab librario, qui ad v. 859 aberraret, repetitum esse omnes fere suspicantur: quamobrem Hermannus probabilem Schuetzii emendationem πεπληγμένου recte recepit.

§. 9.

Nunc ad ea exempla transeo, ubi in fine continuorum versuum diversae earundem vocum formae inveniuntur.

Legimus Cho. 138 seq.

ταῦτ' ἐν μέσῳ τίθημι τῆς κακῆς ἀρᾶς,
κείνοις λέγουσα τήνδε τὴν κακὴν ἀράν,

ubi verba τῆς κακῆς ἀρᾶς in clausulam v. 138 irrepsisse mihi videntur delicto librarii, cuius oculi in versum sequentem aberraverant. Hermannus cum Schuetzio et Blomfieldio scripsit καλῆς ἀρᾶς, Weilius verba illa librorum retinuit, sed pro ἐν μέσῳ restituit ἐν μέρει, Schmidtius (p. 661) coniecit versum 139 post v. 135 inserendum esse. Equidem quoniam aliquid mutandum esse omnes censent, κακῆς ἀρᾶς, quas voces errore describentis in finem versus venisse puto, prorsus eiecerim atque pro iis substituerim vocabulum τιμωρίας, ut versum 137 ab Hermanno emendatum Weilii coniectura ἐν μέρει recepta sequantur:

τοῦτ' ἐν μέρει τίθημι τῆς τιμωρίας,
κείνοις λέγουσα τήνδε τὴν κακὴν ἀράν.

Deinde errore librarii Eum. 135 seq.

κύων μέριμναν οὔποτ' ἐκλείπων πόνου·
τί δρᾷς; ἀνίστω, μή σε νικάτω πόνος,

in finem v. 136 πόνος irrepsisse videtur, pro qua voce recte Schmidtius p. 654 et Heimsoethius (Krit. Stud. p. 159) et Weilius (Vol. II. Sect. IV. p. 127) Halmii probabilem coniecturam κόπος receperunt.

Sed non necesse erat Weilium Sept. 568 seq.

ἔγωγε μὲν δὴ τήνδε πιανῶ χθόνα,
μάντις κεκευθὼς πολεμίας ὑπὸ χθονός·

ex emendatione Ritschelii χθόνα in γύην mutare, quod idem Schmidtius (p. 654) probat, nisi forte Heimsoethii (Wiederh. p. 45) κόνιν praefert.

Nam eo loco item ut Ag. 34 seq.

γένοιτο δ' οὖν μολόντος εὐφιλῆ χέρα
ἄνακτος οἴκων τῇδε βαστάσαι χερί.

repetitiones earundem vocum habent excusationem personae. Illic enim loquitur nuntius, homo humilis atque ignobilis, hos versus pronuntiat excubitor ille, in quo Aeschylum vulgaris vitae consuetudinem expressisse et vulgarem sermonem effinxisse Hermannus affirmat (ad Ag. 22 et 33).

Rhetorice autem rex Argivorum Suppl. 342 seq. notionem πόλις (πόλει — πόλις) repetit, cum eius multum intersit, ut Danaidibus probet rerum arbitrium non tam penes principem quam penes populum esse. Ac cum vi, quo parricidium horridius appareret, Aegisthus Ag. 1558 seq. vocem πατήρ (πατήρ — πατρί) in clausulis iteravit, et acerba quadem irrisione Robur Prometheum compellat Prom. 85 seq.

ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα
καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως,

quasi etymologica annominatione utens. Et acerba quaedam antithesis, ut v. 92 οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός, est in oppositis θέον et θεοῖς Prom. 119 seq.

Deinde ambigue et quasi ironice Clytaemnestra Ag. 940 seq. verbum τελεῖν (τέλει — τελεῖν) in clausulis repetit, sed ex more quodam sermonis Graeci, de quo infra uberius disseram, vocabulum ἄτη iteratum est Cho. 398 seq.

παρὰ τῶν πρότερον φθιμένων ἄτην
ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ.

Denique repetitio verbi θέλειν (θέλοι — θέλεις) Eum. 421 seq. ut stichomythiae conveniens minime mira videtur.

Videmus igitur ea exempla, ubi continui versus diversis formis earundem vocum terminantur, in fabulis Aeschyleis haud frequentia esse atque, ubicunque tales repetitiones inveniuntur, oratoriae cuidam arti servire.

§. 10.

Saepius versus distantes diversis formis earundem vocum concluduntur, ut Eum. 457 seqq.

καὶ τῶνδε κοινῇ Λοξίας ἐπαίτιος,
ἄλγη προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ,
εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους

ubi cur Weilius ἐπαίτιος in μεταίτιος mutaverit non intellego. Nam et ob vocem κοινῇ notio μετά abundat ac supervacanea est neque eo quod pro ἐπαίτιος ille dat μεταίτιος, concentus verborum tollitur.

Neque magis Prom. 656 seqq.

τοιοῖσδε πάσας εὐφρόνας ὀνείρασιν
ξυνειχόμην δύστηνος, ἔστε δὴ πατρὶ
ἔτλην γεγωνεῖν νυκτίφοιτ' ὀνείρατα

eiusdem coniecturam νυκτίφοιτα φάσματα quam Nauckii νυκτίφοιτα δείματα probo. Immo pulchre atque rhetorice Io hic ὀνείρατα repetit ut causam omnium malorum, in quibus postea versata sit. At Weilius aliter alibi sentit. Nam Cho. 45 seqq.

ἰὼ κατασκαφαὶ δόμων.
ἀνήλιοι, βροτοστυγεῖς
δνόφοι καλύπτουσι δόμους.

repetitionem fert, sed Pers. 937 seqq.

Τυρίας ἐκ ναὸς ἔρροντας ἐπ' ἀκταῖς
Σαλαμινιάσι στυφέλου
θείνοντας ἐπ' ἀκτᾶς.

ἐπ' ἀκταῖς abiecit ac ponit ἐν ἄκραις. Nam ἐπ' ἀκτᾶς servandum esse recte contendit, cum in eodem versus strophici loco idem vocabulum (ἀκτάν) collocatum sit: cui responsioni verborum Aeschylum in antistrophicis studuisse Iacobus docet (p. 11). Neque autem quidquam fuit quod Weilius illud ἐπ' ἀκταῖς in ἐν ἄκραις mutaret, quoniam saepe praecipue in canticis Aeschylus verbum recenti adhuc memoriae obversans paulo post iterum ponit (cf. Herm. ad Pers. 927). Ac de industria et cum vi repetit poeta illic litus illud Salaminium Atheniensibus salutare at Persis perniciosissimum. Denique in versibus stichomythicis

Ag. 260 et 262 atque Eum. 414 et 416 repetitiones φρενός — φρένας atque φυγῆς (quod recte Scaliger restituit pro σφαγῆς) — φυγάς nihil offensionis habere et ipse iam satis supra demonstravi et ommes critici consentiunt quia tacent.

Minime autem nos offendunt vocabula varie cadentia in clausulis versuum maiore intervallo disiunctorum repetita sive cum rhetorico quodam robore, ut in illa pronuntiatione praeconis Sept. 990—993—1003 πόλεως — πόλει — πόλιν et in illa comprecatione, qua patriam et eius numina salutat praeco Ag. 481 484 Ἀργείας χθονός — Ἀργείᾳ χθονί, sive sine ulla maiore vi, ut Sept. 1059—1062 πόλις — πόλιν; Prom. 654—657 πατρός — πατρί; Ag. 326—330 στρατῷ — στρατός, 529—532 χρόνῳ — χρονόν; Cho. 276—279 νόσους — νόσῳ.

Sed haec hactenus. Timeo enim iam ne in his exemplis citandis ultra quam licet processerim. At existimabam onmes locos, ubi versus sive continui sive paulo distantes eisdem aut diversis formis earundem vocum terminati essent, mihi afferendos esse quo facilius et planius cognosceretur, quam exiguus esset numerus illorum prae multitudine eorum locorum, ubi versus seu coniuncti seu brevi spatio disiuncti eisdem aut diversis formis eorundem vocabulorum exordiuntur.

§. 11.

Rarissime, ut supra demonstravi, continui versus in eisdem formis desinunt, saepissime autem ab eisdem incipiunt. — Singulari enim studio et eximia arte Aeschylus figura illa usus est, quae epanaphora vel anaphora vocatur[22]. Volkmannus p. 399 de eadem sic iudicat: „Bei Dichtern ist die Wiederholung desselben Wortes am Anfange zweier auf einander folgender Verse oft von grosser Wirkung, z. B. Hor. c. III, 11, 30:

Impiae nam quid potuere maius?
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro,

---

22) Cf. G. Dzialas, rhetorum antiquorum de figuris doctrina. Vratisl. 1869, p. 8. — R. Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer. Berol. 1872. p. 398 seq.

was von Porphyrio als bona ἐπανάληψις per quam impensior affectio dicentis exprimitur bezeichnet wird." Quamobrem haec exornatio maxime in canticis sive lugentium sive laetantium sive timentium sive precantium denique quibuscunque affectibus commotorum usurpata est.

Ita tres continentes versus eisdem vocibus exordiuntur in carmine illo chori Pers. 545 seqq:

Ξέρξης μὲν ἄγαγεν, ποποῖ
Ξέρξης δ' ἀπώλεσεν, τοτοῖ,
Ξέρξης δὲ πάντ' ἐπέσπε δυσφρόνως

quibus in antistropha similiter respondent:

νᾶες μὲν ἄγαγον, ποποῖ
νᾶες δ' ἀπώλεσαν, τοτοῖ,
νᾶες πανωλέθροισιν ἐμβολαῖς.

Iacobus p. 46 seq., ubi de geminationibus in eisdem respondentium stropharum locis adhibitis disputat, opinatur merito in his nonnunquam internam quandam venustatem inesse. „Possunt enim," inquit, „hoc modo et similes voces similibus et contrariae contrariis referri; atque interdum ubi cogitatio in stropha posita in antistropha repetitur, vocibus similis notionis utrobique geminatis sententiae vis et momentum adaugetur; contra ubi cogitatio strophae in antistropha refutatur, si voces sibi repugnantes simili et geminatione et collocatione copulantur, antithesis mirum quantum acuitur."

Ac praeclarissimum antithesis exemplum habet idem versus illos antistrophicos Pers. 545 seqq. Iure laudat quae Hermannus ad v. 553 ait: „verba strophae Ξέρξης μὲν ἄγαγεν usque ad finem strophae non esse chori verba, sed referri a choro ut verba querentium Persarum, antistropham vero ipsius chori orationem continere." „Singulari autem arte", pergit Iacobus, „Aeschylus hoc loco diversa responsionum genera coniunxit; qua re quid voluerit efficere, facile intellegitur. Chorus enim eadem, quae de clade accepta populum questurum esse dixit, ipse eisdem fere verbis confirmans molem calamitatis a Xerxe concitatae gravissime depingit; idem vero, qua est erga Darii domum observantia et fide, Xerxem excusare et defendere

cupiens abducti et perditi exercitus culpam ab illo amotam in naves reicere studet. Aptissime autem poeta, quo magis antithesis eluceret, ipsas voces oppositas iteratione simili coniugavit."

Frequentius sibi respondent similes voces et in stropha et in antistropha duos continuos versus incipientes.

Ita Pers. 695 seqq. strophae versibus:

σέβομαι μὲν προσιδέσθαι,
σέβομαι δ' ἀντία λέξαι

respondent antistrophici:

δίεμαι μὲν χαρίσασθαι,
δίεμαι δ' ἀνταί φάσθαι.

Neque dubitari potest quin hic verbis σέβομαι et δίεμαι haud dissimilibus utrobique repetitis recusatio chori, qui Dario ex inferis in lucem reverso, quem vel intueri verentur senes neque illico respondere neque nova mala, quibus Persae urgeantur, enuntiare audet, multo gravior facta sit. — „Deinde artificiosissima", ut Iacobi verbis utar, „est responsio versuum 973, 974 et 979, 980. Nam sicut in stropha Xerxis verbis βεβᾶσι γὰρ τοίπερ ἀκρῶται στρατοῦ chorus querens adstipulatur hisce:

βεβᾶσιν, οἶ, νώνυμοι,

sic etiam in antistropha regis verba

πεπλήγμεθ', οἷαι δι' αἰῶνος τύχαι

confirmantur hisce chori:

πεπλήγμεθ', εὔδηλα γάρ.

Coniungitur autem cum ducum interfectorum morte superstitum afflictatio, i. e. vocabulum in stropha iteratum causam continet respondentis antistrophici; qua quidem vocabulorum consociatione Xerxis chorique maeror praeclare exprimitur." Weilii coniectura βεβᾶσιν οὐχ ᾇπερ ἀκρῶται στρατοῦ et in antistropha πεπλήγμεθ', οὐχ ᾇ δι' αἰῶνος τύχᾳ, quamvis ᾇπερ per illud ᾗπερ ab Heimsoethio (Indir. Ueberl. p. 6) ex codice Vindobonensi arcessitum quodammodo probetur, tamen altius repetita mihi videtur, quam quae lectioni illi Hermanni praeferatur, qui religiosius Mediceum sequitur.

Tum similiter atque ibi in eadem tragoedia vv. 1040 seqq.

ita ab Hermanno conformati sunt, ut alternis versibus aut chorus aut Xerxes alter alterius questus iterans quasi confirmat:

ΞΕ. ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δυσβάϋκτος
ΧΟ. ἰωὰ δὴ κατ' ἄστυ
ΞΕ. ἰωὰ δῆτα. ΧΟ. ναὶ ναί.

quibus in antistropha item respondent:

ΞΕ. ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δυσβάϋκτος
ΧΟ. γοάσθω δή, βοάτω
ΞΕ. γοάσθω δῆτα. ΧΟ ναὶ ναί.

Atque eadem ratione in planctu illo Sept. 983 seqq. versus Antigonae et Ismenae dispositi sunt, ut strophicis his:

ΑΝ. ἰὼ πάντων πολυστονώτατοι
ΙΣ. — — — — — — —
ΑΝ. ἰώ, ἰώ, δαιμονῶντες ἄτᾳ

respondeant in antistropha:

ΙΣ. ἰώ, ἰώ, ποῦ σφε θήσομεν χθονός;
ΑΝ. ἰώ, ὅπου τιμιώτατον.
ΙΣ. ἰώ, ἰώ, πῆμα πατρὶ πάρευνον

„Excidisse", inquit Hermannus (ad v. 984), „versum, qui Ismenae erat, antistrophicorum ratio docet." Illum versum autem ab ἰώ interiectione incepisse eadem ratio probat.

Postremo in eodem planctu item strophae versibus:

948 seq. ΑΝ. διπλᾶ λέγειν.
ΙΣ. διπλᾶ δ' ὁρᾶν
et 952 seq. ΑΝ. ὀλοὰ λέγειν
ΙΣ. ὀλοὰ δ' ὁρᾶν

respondent antistrophici:

968 seq. ΑΝ. τάλαν γένος.
ΙΣ. τάλαν πάθος
et 968 seq. ΑΝ. ὀλοὰ λέγειν
ΙΣ. ὀλοὰ δ' ὁρᾶν

si quidem recte Hermannus verba illa, quae in libris post v. 976 leguntur, hinc sustulit et post. v. 951 collocavit (cf. Herm. ad v. 976).

Denique eximia arte universum illud carmen lugubre, quod

sorores a v. 932 usque ad v. 968 canunt, Aeschylus instituit. „Versibus sane antistrophicis,“ ait Hermannus ad v. 932, „hae sororum lamentationes decurrunt, et initio quidem sic ut pressa dolore pectora nihil nisi respondentes sibi singultus proferant“:

AN.	δορὶ δ' ἔκανες	στρ. α'.
ΙΣ.	δορὶ δ' ἔθανες	ἀντ. α'.
AN.	μελεόπονος	στρ. β'.
ΙΣ.	μελεοπαθής	ἀντ. β'.
AN.	ἴτω γόος.	στρ. γ'.
ΙΣ.	ἴτω δάκρυ.	ἀντ. γ'.
AN.	πρόκεισαι κατακτάς.	στρ. δ'.
ΙΣ.	πρόκεισαι φονευθείς	ἀντ. δ'.

ubi recte Hermannus hunc postremum versum Ismenae, qui exciderat, restituisse videtur.

Atque eodem modo paulo post compositi sunt vv. 973 seq.

AN.	σύ τοί νιν οἶσθα διαπερῶν,	στρ. ς'.
ΙΣ.	σὺ δ' οὐδὲν ὕστερος μαθών,	ἀντ. ς'.

Acriter et instanter hic versus strophici et antistrophici ab eisdem vocibus incipiunt, ad quam aequalitatem accessit in pluribus consonantia quaedam finalis verborum extremorum.

Negari non potest omnia illa iterationum in stropha et antistropha sibi respondentium exempla internam quandam venustatem habere. Sed multo plura tali venustate carent. „Patet enim“, inquit Iacobus p. 49, „internam venustatem his responsionibus effici non posse nisi respondentibus vocibus interna quaedam sit relatio. Haud raro autem inter voces in stropha et antistropha similiter iteratas, etiamsi in sententiis consimilis argumenti collocatae sunt, nulla sensus societas relatioque intercedit.

Verbi causa in Aesch. Sept. adv. Th. versus

868, 869 αἰαῖ δαιμόνια
αἰαῖ δ' ἀντιφόνων θανάτων ἀραί
et 879, 880 δι' ὧν αἰνομόροις
δι' ὧν νεῖκος ἔβα θανάτου τέλος,

simillima quidem continent; quin etiam commune utriusque

sententiae argumentum, mors fratrum inimicorum, voce θανάτου utrobique posita maxime insignitum est: tamen interiectiones αἰαῖ — αἰαῖ in stropha geminatae cum respondentibus antistrophae vocibus δι' ὦν — δι' ὦν nulla cohaerent ratione. Item omnia exempla comparata esse, in quibus interiectiones iteratae aliis vocibus iteratis respondeant, manifestum est. Atque in eiusmodi locis poetae his responsionibus videri possunt non propterea usi esse, ut singulas voces consociarent et conferrent, sed ut sententias similes formae quoque similitudine coniungerent." „In his igitur", pergit idem p. 50, „et similibus (longe plurima autem respondentium iterationum exempla interna venustate carere arbitror) externae formae aequalitas non aliam ob causam videtur instituta esse, quam quo facilius, quae sibi responderent, appareret, nisi fortasse musica ei locum dedisse putandum est. Modos enim musicos, cum una cum textu carminum fingerentur, ad huius formam constituendam et definiendam maximo momento fuisse consentaneum est."

Concedo plurima respondentium iterationem exempla interna venustate carere, quia voces in stropha et antistropha similiter repetitae non communione quadem rei inter se iunctae sint. Sed quamvis ceterae geminationes sibi respondentes studio sententiarum similium similiter conformandarum ortae sint, anaphoras quidem in utraque stropha ob illam causam solam usurpatas esse nego. Immo quoniam vidimus, ubicunque haec figura adhibita est, vehementiorem quendam motum animi exprimi, sequitur, ut, ubicunque et in stropha et in antistropha anaphorae collocatae sint, utrobique, etsi non quasi cum interna venustate inter utrasque geminationes sensus societas relatioque intercedit, tamen idem acrimoniae vel gravitatis comprehendatur.

Ita in illo cantu funebri Sept. 868 seq. et 879 seq. per anaphoras utrobique luctus atque dolor ex caede fratrum captus mirifice concitatur et adaugetur. — Ac graviter sonant questus illi, quos vates Argivos, cum Helena amatorem Troianum secuta esset, aedes Atridarum deplorantes et mulierem adulteram exsecrantes, effudisse chorus narrat: Ag. 392 seq.

ἰώ, ἰὼ δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι,
ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες,

ubi Keckius ingeniose at praeter necessitatem coniecit:

ἰὼ τέγος καὶ πρόμοι γυναιμανεῖς.
ἰὼ λέχος καὶ στίβοι φιλάνορες.

Nec minus acrimoniae habent in antistropha versus chori, qui postquam praecedentibus versibus, ad quam calamitatem Menelaum depulsum esse vates enuntiassent, exsecutus est, omnes has acerbitates domus regiae una comprehensione complectens ait:

408 τὰ μὲν κατ' οἴκους ἐφ' ἑστίας ἄχη

et continuo quasi eam rem praecidens ad maiora illa mala transit, quae ex incesto flagitio Helenae omnibus Graecis evenerint:

409 τὰ δ' ἐστὶ καὶ τῶνδ' ὑπερβατῶν πέρα

ex coniectura Keckii, vel ut Hermannus scripsit:

τὰ δ' ἐστὶ καὶ τῶνδ' ὑπερβατώτερα.

Ac similiter in Choephoris strophae versibus 426, 427, ubi Electra — (nam ei rectius hi versus tribuuntur quam choro) — quo acrius Orestes ad ultionem exardesceret, cum audivisset Clytaemnestram coniugi per insidias interfecto ne iusta quidem exsequiarum fecisse, de industria ἄνευ iteravit:

ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ'
ἄνευ δὲ πενθημάτων
ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι,

in antistropha respondent verba chori, qui Electram verissime locutam esse testificatus

τὰ μὲν γὰρ οὕτως ἔχει

Orestem continuo instanter ad iram irritat hisce:

τὰ δ' αὐτὸς ὄργα μαθεῖν.

Sic Scaliger et Hermannus praeclare scripserunt, sed Weilius pro τὰ δ' αὐτὸσ ὀργᾶι μαθεῖν Medicei dedit verba haec frigidiora τὰ δ' αὖθις ὥρα μαθεῖν.

Ex his exemplis, quae attuli, iam efficitur, ut, quamvis eiusmodi respondentes geminationes dispositioni et structurae carminum partiumque rationi et relationi illustrandae inservi-

verint, tamen anaphorae et in stropha et in antistropha non collocatae sint, nisi in utroque loco idem robur vel idem impetus infuerit. Quae cum ita sint, ne illud quidem persuasum habeo, quod Iacobus p. 50 putat, musicam talibus responsionibus locum dedisse. Quod si rectum esset, intellegi non potest, cur plerumque geminationibus in stropha positis in antistropha anaphorae non respondeant. Nimirum. Augendi enim et urgendi causa ab uno atque eodem vocabulo principia continentium versuum sumi supra cognovimus. Atqui saepe in antistropha sententia illa vi et vehementia caret, quam respondentes versus strophae exhibent. Ergo haud raro stropha anaphora ornata est, sed antistropha vacat, ut in Suppl. 355 seqq., ubi Danaides regem Argivorum, cuius auxilium imploraverant, cum negasset se quidquam populo invito et inscio decernere posse, arbitratae ut in Aegypto ita in Graecia unius regis arbitrio omnia geri, instanter admonent:

σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον,
πρύτανις ἄκριτος ὤν,
κρατύνεις βωμόν, ἑστίαν χθονός,
μονοψήφοισι νεύμασιν σέθεν,
μονοσκήπτροισιν δ' ἐν θρόνοις χρέος
πᾶν ἐπικραίνεις· ἄγος φυλάσσου.

Tum in Persis 94 seqq.

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πήδημ'
ἅλις εὐπετῶς ἀνάσσων;

metus acer, quo senes subito afficiuntur, ne exercitus Xerxis, quamvis ingens fuerit, tamen perierit, quoniam nemo mortalis providere possit, ne invidiam deorum conflet, multo significantius per anaphoram depingitur, ut similiter in eadem fabula sollicitudo chori, qui ab nuntio certior factus opes Xerxis funditus eversas esse timet, ne iam Asiae gentes imperio domini illius non obtemperent aut pareant, praeclare exprimitur hisce 587 seqq.:

τοὶ δ' ἀνὰ γᾶν Ἀσίαν δὴν
οὐκ ἔτι περσονομοῦνται
οὐκ ἔτι δασμοφοροῦσιν
δεσποσύνοισιν ἀνάγκαις

Ac perspicue animus fractus et dolor Xerxis, qui aegre iram dissimulat, ex his cognoscitur 925 seqq.

Ἰάνων γὰρ ἀπηύρα,
Ἰάνων ναύφρακτος Ἄρης ἑτεραλκής·

et acerbe continuo chorus lamentatur:

ποῦ δὲ φίλων ἄλλος ὄχλος,
ποῦ δέ σοι παραστάται;

Tum quasi anxiis precibus virgines Thebanaé et deos et deas invocant, ne urbem hostibus prodant, Sept. 151 seqq.:

ἰὼ παναλκεῖς θεοί,
ἰὼ τέλεοι τέλεαί τε γᾶς τᾶσδε πυρ-
γοφύλακες, πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ'
ἑτεροφώνῳ στρατῷ.

Et in eadem tragoedia, cum Eteocles, ut se Polynici fratri opponeret, ante portas processisset, chorus metu perculsus et quasi id quod accidit praesagiens canit 715 seqq.

ἐπειδὰν αὐτοκτόνως
αὐτοδάϊκτοι θάνωσι
καὶ γαΐα κόνις πίῃ
μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον,
τίς ἂν καθαρμοὺς πόροι;
τίς ἄν σφε λούσειεν; ὦ
πόνοι δόμων νέοι παλαι-
οῖσι συμμιγεῖς κακοῖς

Deinde cum contrario ictu uterque fratrum transfixus sit, chorus mortuos comploratu prosequitur 886 seq.

σιδαρόπλακτοι μὲν ὧδ' ἔχουσιν
σιδαρόπλακτοι δὲ τοὺς μένουσιν,
et 892 seq. δαϊκτὴρ γόος αὐτόστονος αὐτοπήμων,
δαϊόφρων.

Tum eximie fluctuantis animi motus, quibus Agamemno, cum nondum officium imperatoris, qui a deis filiam immolare

iussus est, patris amorem superaverit, vexatur, per anaphoram exprimuntur Ag. 192 seqq.:

ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς τότ' εἶπε φωνῶν·
βαρεῖα μὲν κὴρ τὸ μὴ πιθέσθαι·
βαρεῖα δ', εἰ
τέκνον δαΐξω, δόμων ἄγαλμα.

Et summisse considerateque recordatus deos maiori gloriae hominum invidere et sortem miseram Agamemnonis victoris quasi praesentiens chorus canit 450 seqq.

κρίνω δ' ἄφθονον ὄλβον.
μήτ' εἴην πτολιπόρθης
μήτ' οὖν αὐτὸς ἁλοὺς ὑπ' ἄλ-
λων βίον κατίδοιμι.

Qua de causa paulo post idem, ubi fama accepit Troiam esse captam, non temere ad gaudendum erigitur, sed dubitat 456 seqq.

εἰ δ' ἐτήτυμος
τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος.
τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος.

Atque acerba annominatione utens chorus de Helena pronuntiat 665 seq.

Ἑλέναν, ἐπεὶ πρεπόντως
ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις.

Postremo, cum Clytaemnestra Agamemnonem trucidaverit, choro hoc est solatio 1455 seq.:

τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται;
τί τῶνδ' οὐ θεόκραντόν ἐστιν;

Deinde in Choephoris graviter chorus miseriam domus regiae lamentatur 44 seq.

ἰὼ πάνοιζυς ἑστία
ἰὼ κατασκαφαὶ δόμων.

Ac luctuose sonat gemitus plangentium 152 seq.

ὀτοτοτοτοτοτοτοῖ
ὀτοτοτοτοῖ ἰώ.

Tum acerbe queritur chorus 463 seq.

ἰὼ δύστον' ἄφερτα κήδη,
ἰὼ δυσκατάπαυστον ἄλγος.

triste munus Orestis, qui iam 430 seqq.

πατρὸς δ' ἀτίμωσιν ἆρα τίσει,
ἕκατι μὲν δαιμόνων
ἕκατι δ' ἁμᾶν χερῶν·
ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν.

caedem matris statutam habet.

Et paulo post chorus, cum mala ex immitibus libidinibus orta commemoraverit, tamen horret memorare detestandum Clytaemnestrae et Aegisthi connubium feminaeque insidias viro bellatori structas, viro etiam hostibus venerabili: 617 seq.

ἐπ' ἀνδρὶ τευχεσφόρῳ,
ἐπ' ἀνδρὶ δᾴοις ἐπικλύτῳ σέβων,

ut Hermannus pro librorum ἐπ' ἀνδρὶ δηΐοις ἐπικότω σέβας scripsit. Sed dubito an rectius Weilius dederit: ἐπ' ἀνδρὶ δᾴοισιν ἐντόκῳ σέβας.

Postremo cum Clytaemnestra arbitrata hospitem vera dixisse abierit, ut Aegisthum de morte Orestis certiorem faceret, chorus ratus nunc tempus ulciscendi venisse manes Agamemnonis implorat, ut Orestem adiuvent: 711 seq.

νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον·
νῦν γὰρ ἀκμάζει πειθὼ δολίαν

Ac filium, ut forti animo poenas ab matre repetat, chorus cohortatur hisce: 817 seqq.

Περσέως τ' ἐν φρεσὶ καρδίαν σχεθών,
τοῖς δ' ὑπὸ χθονὸς φίλοις,
τοῖς τ' ἄνω πρόπρασσ' ἰὼν
χάριτας ὀργᾶς λυγρᾶς.

Similiter ut ibi chorus manes invocavit, Electra diras mortuorum precata est 401 seq.

ἴδετε πολυκρατεῖς ἀραὶ τεθυμένων,
ἴδεσθ' Ἀτρειδᾶν τὰ λοίπ' ἀμηχάνως

Denique graviter Furiae monent Eum. 519 seqq.

μήτ' ἀνάρχετον βίον
μήτε δεσποτούμενον
αἰνέσῃς.

quae eaedem placatae Parcas hortantur, ut terrae Atticae faveant: 949 seq.

παντὶ δόμῳ μετάκοινοι,
παντὶ χρόνῳ δ' ἐπιβριθεῖς

Ac leniter et placide sonat carmen illud Furiarum Atheniensibus vale dicentium 978 seq.:

χαίρετε χαίρετ' ἐν αἰσιμίαισι πλούτου
χαίρετ' ἀστικὸς λεώς,

ubi repetitum χαίρετε dearum animos mitigatos clare atque evidenter ostendit.

In his omnibus exemplis illam exornationem cum multum venustatis tum gravitatis et acrimonae plurimum habere intellegimus. At non semper anaphoram in sententia gravi et vehementi sed etiam leviore poni iam Ellendtius ad Cic. de or. II, 84, 341 adnotavit: id quod plerumque tum existimandum est cum voces minoris momenti quasi casu in principiis versuum continuorum iterantur, ut καὶ Suppl. 1039 seqq.; ἢ Eum. 276 seq., qui versus in canticis leguntur, atque Pers. 159 seq. καὶ et Cho. 989 seq. ὡς in sermonibus vel orationibus.

§. 12.

Neque autem minus in ceteris locis, ubicunque in iambicis trimetris acatalectis vel in trochaicis tetrametris catalecticis, qui non canuntur sed dicuntur, anaphorae collocatae sunt, gravitas quaedam et acrimonia per hanc figuram efficitur, ut in tetrametris, qui versus iam per se grandius et antiquius aliquid reddunt, Pers. 165 seq.:

μήτε χρημάτων ἀνάνδρων πλῆθος ἐν τιμῇ σέβειν,
μήτ' ἀχρημάτοισι λάμπειν φῶς ὅσον σθένος πάρα.

quam sententiam generalem Atossa et Xerxi et opibus Persarum timens pronuntiat. — Deinde eadem cum vi quadam et venustate duas illas mulieres per somnum oblatas inter se conferens vel opponens describit ita in senariis 181 seq.

ἡ μὲν πέπλοισι Περσικοῖς ἠσκημένη,
ἡ δ' αὖτε Δωρικοῖσιν, εἰς ὄψιν μολεῖν.

Ac paulo infra, ubi somnio atque omine infausto perterrita timet, ne Xerxes perierit, at non audet id plane dicere, quasi ambigue de filio ait 211 seqq.

πράξας μὲν εὖ θαυμαστὸς ἂν γένοιτ' ἀνήρ,
κακῶς δὲ πράξας οὐχ' ὑπεύθυνος πόλει,
σωθεὶς δ' ὁμοίως τῆσδε κοιρανεῖ χθονός.

Similem in modum, quo contrarium magis eluceret, anaphora posita est Sept. 4 seq.

εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεοῦ·
εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,

Ac graviores versus hi per eandem figuram fiunt, ubi cum nuntius Polynicem septimam portam Thebarum oppugnaturum esse retulerit in scuto prae se gestantem imaginem Iustitiae, cuius opem imploraret, acerba quadam cavillatione Eteocles de fratre loquitur 645 seqq.

ἀλλ' οὔτε νιν φυγόντα μητρόθεν σκότον,
οὔτ' ἐν τροφαῖσιν, οὔτ' ἐφηβήσαντά πω,
οὔτ' ἐν γενείου ξυλλογῇ τριχώματος,
Δίκη προσεῖπε καὶ κατηξιώσατο.

Cf. Eum. 403 seq. — Cho. 693 seq.

Tum contraposita magis per anaphoram premuntur Ag. 530 seq.

τὰ μέν τις ἂν λέξειεν εὐπετῶς ἔχειν,
τὰ δ' αὖτε κἀπίμομφα.

Cf. Eum. 221 seq.
aut disiunguntur Cho. 669 seqq.

εἴτ' οὖν κομίζειν δόξα νικήσει φίλων,
εἴτ' οὖν μέτοικον, εἰς τὸ πᾶν ἀεὶ ξένον,
θάπτειν, ἐφετμὰς τάσδε πόρθμευσον πάλιν

Cf. Cho. 838 seq.

Postremo non ineptum est personae servi caede domini obstupefacti repetitum illud οἴμοι Cho. 862 seq.

οἴμοι, πανοίμοι δεσπότου πεπληγμένου,
οἴμοι μάλ' αὖθις ἐν τρίτοις προσφθέγμασιν.

Ac cum vi Apollo profitetur Eum. 659. seqq., quos versus quod Weilius eiciat nihil est. Neque enim eos ab Aeschylo aut ab re alienos esse persuasum habeo.

§. 13.

Saepius quam in continuata oratione anaphora in stichomythiis invenitur, ubi in universum ab altero alterius verba excipi vel repeti supra cognovimus. Neque igitur existimabimus his omnibus locis per repetitionem illam maius robur adici, quamvis id saepe fieri non negandum sit, ut Sept. 238 seq., ubi, postquam mulieres metu hostium urbem oppugnantium trepidantes precatae sunt:

ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος,

Eteocles cum cavillatione quadam exsecratur:

ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος.

et in eadem fabula 1026 seq., ubi, cum praeco Antigonam monuerit, ne imperium optimatium detrectans Polynicem conderet:

αὐδῶ πόλιν σε μὴ βιάζεσθαι τάδε,

illa fortiter et obstinate obloquitur:

αὐδῶ σε μὴ περισσὰ κηρύσσειν ἐμοί.

quae eadem continuo, ubi praeco monere pergit:

τραχύς γε μέντοι δῆμος ἐκφυγὼν κακά,

annominatione quadam utens ironice respondet:

τράχυν'. ἄθαπτος δ' οὗτος οὐ γενήσεται.

Merito Hermannus scholiastam laudat, qui τράχυνε recte explicet: λέγε πολλάκις, τραχύς ἐστιν ὁ δῆμος, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἀναστελεῖς με θάψαι τὸν ἀδελφόν. Languida autem et frigida mihi videtur Schmidtii emendatio, quam Weilius recepit:

τραχὺς δ' ἄθαπτος οὗτος οὐ γενήσεται;

Deinde Ag. 1621 seq., simul Aegisthus conviciis senum Argivorum irritatus satellites suos ad arma vocavit:

εἶα δή, φίλοι λοχῖται, τοὔργον οὐχ ἑκὰς τόδε,

chorus non minus alacer ad dimicandum conclamat:

εἶα δή, ξίφος πρόκωπον πᾶς τις εὐτρεπιζέτω.

Ac graves et sanctae preces illae Orestis et Electrae per anaphoram efficiuntur Cho. 485 seq.

ΟΡ. μέμνησο λουτρῶν οἷς ἐνοσφίσθης, πάτερ.
ΗΛ. μέμνησο δ' ἀμφίβληστρον ᾧ σ' ἐκαίνισαν.

et 489 seq.

ΟΡ. ἆρ' ἐξεγείρει τοῖσδ' ὀνείδεσιν, πάτερ;
ΗΛ. ἆρ' ὀρθὸν αἴρεις φίλτατον τὸ σὸν κάρα;

Tum Eum. 204 seq, cum Apollo affirmaverit Orestem a se matrem interficere iussum et supplicem Delphos missum esse

καὶ προστραπέσθαι τούσδ' ἐπέστελλον δόμους,

Furiae καί illud repetentes interfantur:

καὶ τὰς προπομποὺς δῆτα τάσδε λοιδορεῖς.

Postremo in eadem tragoedia 593 seq. Orestem, qui confitetur se matrem occidisse ac profitetur se iure eam interemisse, quae non solum maritum vita privavisset sed etiam filium patre orbavisset, Furiae interpellant:

τί γάρ; σὺ μὲν ζῇς, ἣ δ' ἐλευθέρα φόνῳ.

(ut Hermannus bene scripsit), quae respiciens ille nihilo minus negat se castigandum esse, quoniam deae non a Clytaemnestra viva poenas repetivissent:

τί δ' οὐκ ἐκείνην ζῶσαν ἤλαυνες φυγῇ;

Denique Eum. 736 seq., ubi iudices calculos, ex quibus victoria pendebat, dinumeraturi sunt, uterque et reus et accusator exspectatione cruciatus exclamat:

ΟΡ. ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, πῶς ἀγὼν κριθήσεται;
ΧΟ. ὦ Νὺξ μέλαινα, μῆτερ, ἆρ' ὁρᾷς τάδε;

Sed licet in iis stichomythiis, quas attuli, per anaphoram venustas quaedam et gravitas efficiatur, tamen in iis locis, ubi alter versus ad interrogatum respondet, non semper singularis vis intellegi potest. Immo consentaneum est, ubi de aliqua parte sententiae quaeratur, in respondente versu eandem partem excipi, ut eiusmodi repetitiones saepe insigni robore careant.

Ita Prom. 762 seq., cum Io interrogaverit de Iove:

πρὸς τοῦ τύραννα σκῆπτρα συλήθήσεται;

respondet Prometheus πρός illo non tam cum vi quam elegantia quadam[22]) in principio versus repetito:

πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων.

Sed acerbitas quaedam inest in iterato ἤδη Ag. 1169 et dicacitas in repetito ἀλλά Cho. 762.

[22]) Cf. §. 20.

His exemplis illi loci addi possunt, ubi altera persona appellata vel rogata respondet prima persona verbi eiusdem utens, ut Apollo Furiis, quae de eo quasi quaestionem habent Eum. 201

ἔχρησας ὥστε τὸν ξένον μητροκτονεῖν.

respondet 202:

ἔχρησα ποινὰς τοῦ πατρὸς πέμψαι· τί μήν;

Tum Prom. 69 seq. ut Vulcanus clamavit

ὁρᾷς θέαμα δυσθέατον ὄμμασιν,

Robur ait:

ὁρῶ κυροῦντα τόνδε τῶν ἐπαξίων.

Ac Sept. 245 seq., cum Eteocles silentium imperet:

σίγησον, ὦ τάλαινα, μὴ φίλους φόβει

chorus obsequitur:

σιγῶ· σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον.

Postremo Pers. 988 seq., ubi Xerxes devictus et cum paucis domum reversus rogat:

ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς;

chorus graviter afflictus conclamat:

ὁρῶ, ὁρῶ.

Notum est Graecos, quamvis interdum adverbiis quibusdam in dialogis ad probandum, quod ab alio dicitur, vel ad improbandum utantur, tamen saepius ubicunque aliquid affirmandum vel negandum est, verbum in interrogatione usurpatum in responsione repetere: qua re quin sententiis illis oratorium quoddam robur adiciatur quis dubitaverit?

§. 14.

Interdum etiam anaphora quaedam eo efficitur, quod eiusdem nominis casus in principiis versuum continuorum saepius commutantur: quod genus πολύπτωτον vocari potest (cf. Dzialas p. 11 seq. et Volkmann. p. 400). Cornificius IV, 14, 20 hanc figuram traductionem nominat, quae faciat, „uti, cum idem verbum crebrius ponatur, non modo non offendat animum, sed etiam concinniorem orationem reddat.“ Illustrissimum

exemplum Herodianus (III, 97, 23)[23]) ex poematis Anacreontis affert:

Κλευβούλου μὲν ἔγωγ' ἐρῶ,
Κλευβούλῳ δ' ἐπιμαίνομαι,
Κλεύβουλον δ' ἰδέειν ποθέω.

Facete illud dictum est, at dicacitas quaedam inest in versibus Furiarum Eum. 646 seq., quae negant fieri posse ut Apollo eum, qui matrem necaverit, poena liberet. Num talem filium iure in parentium domo habitaturum esse arbitretur? Ac

ποίοισι βωμοῖς χρώμενος τοῖς δημίοις;
ποία δὲ χέρνιψ φρατέρων προσδέξεται;

Cf. in diverbiis Sept. 682 seq. θεοὶ et θεοῖς.

Locis illis addi potest Eum. 7 seq., ubi genere quasi immutato figura illa efficitur:

Φοίβη, δίδωσιν ἡ γενέθλιον δόσιν
Φοίβῳ· τὸ Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον.

Sed haec hactenus.

§. 15.

Nunc quoniam ea exempla attuli, ubi anaphora in principiis duorum vel plurium continuorum versuum adhibita erat, eos locos percensebo, ubi in uno eodemque versu invenitur illa figura ita ut singulae partes eiusdem versus ab eadem voce incipiant: quod schema Isidorus (Orig. I, 35, 9) epanaphoram vocat. Nam ubi (I, 35, 8) ait: „Anaphora est repetitio eiusdem verbi per principia versuum plurimorum," pergit idem (I, 35, 9): „Epanaphora est in uno versu per principia sensuum eiusdem verbi repetitio." Liceat igitur nobis hanc figuram epanaphoram nominare, cum praesertim Beda[24]) dicat hanc quosdam epanaphoram nominasse. Hermogenes, qui vocem ἀναφοράν non usurpat sed duas illas figuras nomine ἐπαναφορᾶς complectitur, ait (II, 335) αἱ κατὰ κῶλον ἐπαναφοραὶ καλλωπίζουσιν, αἱ

23) In rhetoribus Graecis citandis usus sum Spengelii editione.
24) p. 609, 18. Usus sum Halmii rhetoribus Latinis minoribus (Lips. 1863).

κατὰ κόμμα γοργὸν ποιοῦσι τὸν λόγον, ἀλλ' οὐ καλόν. — Quodsi κῶλα sive membra orationis prosae idem comprehendunt quod versus poesis — id quod Volkmannus p. 432 probat — et κόμματα sive articuli (cf. Cornific. IV, 19, 26) orationis particulis versus aequiparanda sunt, colligere poterimus hoc altero genere ἐπαναφορᾶς etiam multo maiorem acrimoniam et vehementiam sententiis adici quam illo priore.

Hermogenes l. c. exemplum epanaphorae addidit: προσιὼν μὲν τῇ βουλῇ, προσιὼν δὲ τῷ δήμῳ. Atque eiusmodi exempla multa apud Aeschylum sunt, ut Pers. 708

πολλὰ μὲν γὰρ ἐκ θαλάσσης, πολλὰ δ' ἐκ χέρσου κακά

et Ag. 486

χαῖρε μὲν χθών, χαῖρε δ' ἡλίου φάος.

Cf. Pers. 156. Suppl. 980. Prom. 783. Ag. 831. 1254 et in canticis Cho. 1016. Pers. 19.

Sed saepe priori articulo, qui particula μέν caret, alter additur per δέ non tam oppositus quam coniunctus, ut Cho. 1009

νῦν αὐτὸν αἰνῶ, νῦν δ' ἀποιμώζω παρών,

si quidem Hermannus recte scripsit, et Eum. 35.

ἢ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν.

Cf. in canticis Suppl. 355. Sept. 1043. Ag. 85. Cho. 334.

Nec rarius partes illae versuum vel sententiarum, quae ab eisdem vocabulis incipiunt, per particulas quasdam coniunguntur aut disiunguntur, ut Suppl. 206

ἀλλ' εὖ τ' ἔπεμψεν, εὖ τε δεξάσθω χθονί.

Cf. Suppl. 859. Eum. 876 et in canticis Pers. 14. Prom. 607.

Frequentissime autem eiusmodi sententiae ἀσυνδέτως vel dissolute dicuntur, ut Cho. 78

πῶς εὔφρον' εἴπω; πῶς κατεύξωμαι πατρί;

et Eum. 607

οὐκ ἀνδρός, οὐ γυναικός, οὐ πόλεως πέρι

et Eum. 855

εὖ δρῶσαν, εὖ πάσχουσαν, εὖ τιμωμένην

Cf. Prom. 948 seqq. et Eum. 628.

Atque in canticis:

Cho. 711 νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον.

Ag. 1493 ἄξια δράσας, ἄξια πάσχων.
Ag. 1507 τίς ὁ θάψων νιν; τίς ὁ θρηνήσων;
Cho. 1072 ποῖ δῆτα κρανεῖ, ποῖ καταλήξει;
Sept. 91 τίς ἄρα ῥύσεται; τίς ἄρ' ἐπαρκέσει
Sept. 141 τί πόλις ἄμμι πάσχει, τί γενήσεται;

Cf. Prom. 115. 558. 576. Suppl. 23. Pers. 650. Sept. 977. Cho. 926. Eum. 161. 167. 830. 864

Mirifice autem saepe adhortatio vel precatio eo acuitur, quod idem imperativus bis ponitur sive ita, ut alteri parti epanaphorae δέ adiungatur, ut Pers. 398:

ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δὲ
παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῴων ἕδη.

sive ita, ut duo imperativi ἀσυνδέτως dicantur, ut Prom. 276

πείθεσθέ μοι, πείθεσθε, συμπονήσατε

et 1003

τόλμησον, ὦ μάταιε, τόλμησόν ποτε

et in canticis: Sept. 155

κλύετε παρθένων, κλύετε πανδίκους
χειροτόνους λιτάς.

§. 16.

Fortasse haec tria novissima exempla, quoniam repetitae voces non plenas et absolutas partes orationis incipiunt sed quasi ipsae iteratae particulae eiusdem sententiae sunt, rectius anadiplosi figurae quam epanaphorae ascribuntur Phoebammone (III, 46, 19) et Zonaeo (III, 166, 1) et rhetore anonymo (III, 182, 25) auctoribus, qua post aliquam interiectionem repetitione elocutionem paulo etiam vehementiorem fieri Quintilianus (IX, 3,29) dicit. Atque haec vehementia et in tribus illis exemplis et in his:

Sept. 124

ἐπίλυσιν φόβων, ἐπίλυσιν δίδου

Prom. 340

αὐχῶ γάρ, αὐχῶ τήνδε δωρεὰν ἐμοί
δώσειν Δί', ὥστε τῶνδέ σ' ἐκλῦσαι πόνων

cernitur.

§. 17.

Figurae illi similis est eiusdem verbi vel potius formae in eodem versu sine aliqua dilatione geminatio, quod schema epizeuxis vocatur (cf. Phoebammo III, 46, 18. — Beda 609, 23. — Isidor. I, 35, 10. — Piderit. ad Cic. Or. 39, 135)[25]. Alii aliud huic figurae nomen imposuerunt (cf. Dzialas p. 6), sed re omnes consentiunt hanc figuram usurpari vel amplificandi vel miserandi gratia vel ut res magis enucleetur et affirmetur. Quintilianus IX, 3, 28 ait: „Illud est acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodat. E quibus primum sit, quod fit per adiectionem. Plura sunt genera. Nam et verba geminantur, vel amplificandi gratia: ut Occidi, occidi, non Sp. Maelium; alterum est enim, quod indicat, alterum, quod affirmat; vel miserandi: ut

Ah Corydon, Corydon —

Quae eadem figura nonnunquam per ironiam ad elevandum convertitur.“ Ac Cornificius IV, 28, 38: „Conduplicatio est“, inquit, „cum ratione amplificationis aut commiserationis eiusdem unius aut plurium verborum iteratio“ et paulo infra: „vehementer auditorem commovet eiusdem redintegratio verbi et vulnus maius efficit in contrario causae, quasi aliquod telum saepius perveniat in eandem partem corporis.“ Cf. Aquil. Roman. 31, 11 seqq. — Mart. Capell. 481, 11.

Hanc figuram persaepe apud Aeschylum invenimus non tam in dialogis et trimetris, ut Eum. 143

ἔγειρ', ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ

et Prom. 268

ἑκών, ἑκὼν ἥμαρτον, οὐκ ἀρνήσομαι

quam in canticis, ubi in universum vehementiores motus animi exprimuntur. — Plerumque eadem vox semel iteratur sed nonnullis locis idem verbum ter vel quater nuncupatum est, ut Eum. 133

λάβε, λάβε, λάβε, λάβε, φράζου,

---

25) Cf. praeter illos Charis. 281, 21 et Diomed. 446, 9, (Vol. I Grammat. Lat. ex rec. Keilii) et Donat. 398, 12 (Vol. IV).

quas voces extra metrum positas sicut interiectiones Furiae profundunt, quae nondum plane experrectae, sed quasi somniantes Orestem fugientem vident, quem ut prehendant inter se cohortantur.

Deinde Sept. 135 et 143 ἒ ἒ ἒ ἒ in principiis strophae et antistrophae leguntur. (Cf. Pers. 949 ἒ ἒ ἒ ἔ.) — Tum Cho. 856 ἒ ἔ, ὀτοτοτοτοῖ, quem clamorem Aegisthus percussus tollit, Hermannus merito, cum libri ἒ ἒ ὀτοτοτοῖ darent, dochmium restituit, qui versus in talibus exclamationibus usitatus est. — Atque Cho. 152 seq. in ineunte antistropha Hermannus librorum

ὀτοτοτοτοτοτοτοῖ ἰώ

mutavit in ὀτοτοτοτοτοτοῖ,

ὀτοτοτοτοῖ ἰώ.

versuum strophicorum rationem habens. At Weilius qui illud carmen non in stropham et antistropham redegit, scripsit ὀτοτοτοτοτοτοῖ solum. Cf. Pers. 1012 et 1020 ὀτοτοτοτοῖ atque Ag. 1031 et 1035: ὀτοτοτοῖ πόποι δᾶ et Suppl. 854 et 864 ὀτοτοτοτοῖ.

Denique strophae versui Suppl. 102

ἰὴ ἰή, ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ

respondet antistrophicus 110

ἰὼ ἰώ, ἰὼ δυσάγκριτοι πόνοι.

Plerisque locis autem idem vocabulum bis tantum usurpatum est ac quidem saepe ita, ut, quae verba in stropha geminata sunt, eadem in respondente versu antistrophae duplicentur: id quod in versibus intercalaribus necessario fit neque iam in antistrophicis mirum videtur, si recordamur quae Iacobus de eiusmodi responsionibus disseruit. — Sed liquet per epizeuxin ephymniis, in quibus per se aliquid grave et grande et solemne inest, multo insigniorem vim addi. Ita Supplices 123—125 et 133—135 utramque stropham et illam, qua Iovem, et hanc, qua Dianam imploraverant, ne invitae Aegyptiis nubere cogerentur, graviter eisdem verbis concludunt:

σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς εὐνᾶς
ἀνδρῶν, ἒ ἔ,
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν.

Eaedem postea per praeconem in inimicorum naves descen-

dere iussae ac metuentes, ne patre et Argivis insciis per vim abripiantur, cum vi bis eodem modo opem Terrae invocant

855 et 865 μᾶ Γᾶ, μᾶ Γᾶ, βοᾷ.

Ac graviter Cassandra figura illa utens Appollinem, auctorem calamitatis, bis 1039 et 1044 in Agamemnone increpat:

'Απόλλων, 'Απόλλων
ἀγυιᾶτ', ἀπόλλων ἐμός.

Tam Ag. 117, 131, 148, ubi chorus expeditioni Troicae felicem exitum precatur, idem ephymnium αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω et strophae et antistrophae et epodo subiectum est, cum ceteri versus intercalares non plus semel repetiti sint. —

Postremo ut in sacris carminibus ephymnia aut ipsas invocationes aut adhortationes ad acclamandum continent, ita in lugubribus saepe vel querelae et interiectiones repetuntur, ut

Pers. 1024 et 1029 ἄνι' ἄνια.
Pers. 1026 et 1031 ἄπριγδ' ἄπριγδα μάλα γοεδνά.
Pers. 1037 et 1040 ἰὼ ἰώ, Περσὶς αἶα δυσβάϋκτος,

vel excitationes ad querendum, ut Pers. 1009 et 1017 βόα νυν ἀντίδουπά μοι. —

Iam vero quae intercalaribus seu epiphthegmaticis versibus, plane eadem in strophis repetitis, quoniam hae nihil aliud sunt nisi ἐπιφθεγματικά amplificata et in maius aucta, inest vis epizeuxis. Inveniuntur enim interdum apud Aeschylum strophae ad verbum iteratae, atque aliae a scaenico cantatae brevissimae sunt et ex solis fere interiectionibus constant, ut Ag. 1031, 1032 et 1035, 1036; aliae a choro cantatae longiores, uti Ag. 1457—1464 et 1481—1488. Eum. 770—782 et 797—809, 823—833 et 857—867.

Ac primo loco Cassandra et suam et Agamemnonis caedem animo praesagiens strophula

ὀτοτοτοῖ πόποι δᾶ
'Απόλλων, 'Απόλλων,

quae figura illa ornata est, repetita Apollinem exitii sui auctorem graviter appellat et quasi sollemniter iis praeludit quae continuo de Pelopidarum sceleribus vaticinatur. — Paulo post

autem, ubi chorus 1457—1464 et 1481—1488 regem interfectum eisdem verbis deplorat et conqueritur, utrobique et primus ἰὼ ἰὼ βασιλεῦ, βασιλεῦ et sextus versus ὤμοι μοι, κοίταν τάνδ' ἀνελεύθερον illam exornationem habent. —

Idem ornamentum ostendunt in strophis illis aequalibus (Eum. 770—782 et 797—809), quibus Furiae iratae, quod causa ceciderunt, populo Attico perniciem minitantur, congruentes versus 774 et 801 ἰὸν ἰὸν ἀντιπεν-θῆ atque, si quidem Hermannus recte δίκα duplicavit,

777 et 804 ὢ δίκα, δίκα.

Cf. Eum. 829 et 863.

Denique versibus illis intercalaribus similes et cognatae sunt interiectiones et exclamationes in eisdem stropharum et antistropharum locis repetitae, si quidem totos versus complent, ut Suppl. 795 et 801 ἠέ, ἠέ, ubi Hermannus strophae versum ex antistropha supplevit[26]), et Pers. 115 et 121 ὀᾶ, ὀᾶ, ubi Dindorfius merito, aliarum huiusmodi exclamationum exempla secutus ὀᾶ, quod idem pro ὀά restituit, duplicavit item ut 572 et 584.

Deinde Pers. 1012 et 1020 ὀτοτοτοτοτοῖ, Sept. 135 et 143 ἒ ἒ ἒ ἕ, 308 et 321 ἒ ἕ, 941 et 957 ἠέ, ἠέ. (Notandum est Dindorfium ubique pro ἒ ἕ et pro ἠέ scripsisse ἐή.) —

Similem in modum paulo discrepantes interiectiones αἰαῖ, αἰαῖ et οἰοῖ, οἰοῖ sibi respondent Suppl. 832 et 841.

Frequentissime autem eaedem interiectiones iteratae in partibus sive in primis sive in extremis respondentium versuum repetuntur, ut in initiis

Ag. 1095 et 1105

ἰὼ ἰὼ ταλαίνας κακόποτμοι τύχαι
et ἰὼ ἰὼ λιγείας μόρον ἀηδόνος.

Sept. 852 et 858, ubi strophae versui

ἰὼ ἰὼ δύσφρονες

respondet antistrophicus

ἰὼ ἰὼ δωμάτων.

---

26) Similem in modum Weilius in Choephoris utrobique et 1003 et 1015 αἰαῖ αἰαῖ restituit.

Sept. 985 in stropha

ἰώ, ἰώ, δαιμονῶντες ἄτᾳ

atque 988 in antistropha

ἰώ, ἰώ, πῆμα πατρὶ πάρευνον.

Pers. 263 et 269

ὀτοτοτοῖ, μάταν et ὀτοτοτοῖ, φίλων[27])

atque in clausulis: Prom. 578 et 599

πημοσύναις; ἓ ἕ et φοιταλέοις; ἓ ἕ.

Nec rarius in principiis versuum diversae interiectiones geminatae sibi respondent, ut

Suppl. 102 ἰὴ ἰή, ἰηλέμοισιν ἐμπρεπῆ
et 110 ἰὼ ἰώ, ἰὼ δυσάγκριτοι πόνοι
Ag. 1073 ἓ ἓ ἕ, παπαῖ παπαῖ, τί τόδε φαίνεται
et 1084 ἆ ἆ· ἰδού, ἰδού· ἄπεγε τῆς βοός.

Saepe autem interiectiones iteratae respondent aliis vocibus geminatis sive totos versus complentes, ut

Suppl. 793 ὂ ὄ, ἆ ἄ et 799 ὁρῶ, ὁρῶ

(ex coniectura Hermanni. Weilius utrobique scribendum esse putabat ’Οοῶ ἀαᾶ.)

Suppl. 818 ἰού, ἰού et 829 βία, βία.
Pers. 449 ἓ ἕ, ἓ ἕ et 962 βοᾷ, βοᾷ.
Pers. 975 ἰὴ ἰή, ἰὼ ἰώ et 981 νέαι νέαι δύαι δύαι

(Weilius νέᾳ νέᾳ δύᾳ δύᾳ scripsit rationem habens antecedentium versuum, quos prorsus mutaverat.)

Pers. 989 ὁρῶ, ὁρῶ et 1000 παπαῖ, παπαῖ

sive initia versuum occupantes, ut

Ag. 1418 ἰὼ ἰὼ παράνους ‘Ελένα
et 1504 ἰὼ γᾶ γᾶ, εἴθε μ’ ἐδέξω
Ag. 1451 φεῦ φεῦ, κακὸν αἶνον ἀτη-ρᾶς
et 1475 πῶ, πῶ; πατρόθεν δὲ συλλή-πτωρ
Cho. 377 Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων
et 391 φεῦ, φεῦ κάρανα δαΐξας

sive medias partes tenentes, ut

Sept. 110 σὺ δ’ ἀλλ’, ὦ Ζεῦ, Ζεῦ, πάτερ παντελές,

---

27) His locis addendos esse arbitror versus ab Weilio emendatos Pers. 929 οἰοιοῖ, καὶ πάντ’ ἐκπέρθου; et 940 οἰοιοῖ, ποῦ σοι Φαρνοῦχος.

ubi Hermannus σὺ δ' addidit et Ζεῦ geminavit suadente versu antistrophico 125 σύ τ' Ἄρης, φεῦ φεῦ, Κάδμου ἐπώνυμον. —

At quamvis in iteratis interiectionibus insignis vis posita sit, tamen plus gravitatis et roboris habent verba aut nomina in eisdem locis respondentium versuum geminata. Ita duplicatis imperativis iussum praeconis multo atrocius fit

Suppl. 805 et 809 σοῦσθε, σοῦσθ' ἐπὶ βᾶριν ὅπως ποδῶν
et σοῦσθε, σοῦσθ' ὀλοαὶ μέγ' ἐπ' ἄμαλα.

Ac mirifice mitigati animi Furiarum, quarum iracundiae paulo ante implacabiles videbantur, verbis utrobique iteratis exprimuntur, quibus civitati Atheniensium vale dicunt Eum. 978

χαίρετε, χαίρετ' ἐν αἰσιμίαισι πλούτου,
et 996 χαίρετε, χαίρετε δ', αὖθις ἐπανδιπλοίζω,

ubi Weilius pro librorum ἐπιδιπλοίζω dedit ἔπη διπλοίζω et scripsit

χαίρετε δ' αὖθις ἔπη, διπλοίζω.

Frequentius autem diversorum vocabulorum iterationes sibi respondent, ut

Pers. 917 πέμψω, πέμψω πολύδακρυν ἰαχάν
et 924 κλάγξω κλάγξω δ' ἀρίδακρυν ἰαχάν

(ex coniectura Hermanni), ubi per epizeuxin in utraque stropha lamentationes chori gravius eduntur.

Ac paulo post in eadem fabula 958

ἔλιπες ἔλιπες, οἶ', ὢ ὢ δᾴων
et 971 ἔταφον ἔταφον· οὐκ ἀμφὶ σκηναῖς

per eandem figuram dolor ex ingenti clade captus egregie effertur.

Deinde responsio verborum δίαινε, δίαινε πῆμα, πρὸς δόμους δ' ἴθι Pers. 1007 et ἔρεσσε, ἔρεσσε καὶ στέναζ' ἐμὴν χάριν 1015, quibus Xerxes chorum iterum atque iterum ad dolendum excitat, simillima est iis ephymniis repetitis, quibus ad querendum admonetur, ut βόα νυν ἀντίδουπά μοι, quae supra commemoravi.

Atque in Agamemnone vocibus

γάμοι v. 1115 ἰὼ γάμοι γάμοι Πάριδος ὀλέθριοι
et πόνοι v. 1126 ἰὼ πόνοι πόνοι πόλεος ὀλομένας

iteratis nuptiae Paridis acriter culpantur illic, hic excidium Troiae, quod illud coniugium consecutum est, acerbe deploratur

ab Cassandra. Cf. Prom. 889 ἦ σοφός, ἦ σοφὸς ἦν, ὃς et 896 μήποτε, μήποτέ μ', ὦ Μοῖραι[28].

Saepenumero autem versus strophae, cum qua notio esset premenda, epizeuxi ornatus est, sed antistrophicus, quippe ubi nulli voci insignior vis esset adicienda, figura illa caruit ac vicissim. Ita in stropha sola hoc schema positum est:

Suppl. 853 ἄραχνος ὣς βάδην νόαρ, νόαρ μέλαν

(ex emendatione Hermanni). Libri dederunt ὄναρ ὄναρ μέλαν[29].

Deinde in Persis chorus ab nuntio de interitu exercitus certior factus graviter lamentari incipit 255

ἄνι' ἄνια νεόκοτα καὶ δάϊ', αἰαῖ.

qui idem paulo post Darium ab inferis excitat ad opitulandum hisce 660

βαλήν, ἀρχαῖος βαλήν, ἴθ' ἴθ', ἱκοῦ

et 1008 a Xerxe ad deplorandum concitatus conqueritur:

αἰαῖ, αἰαῖ, δύα, δύα.

Ac timore perculsae virgines exclamant:

Sept. 139 Ἄρτεμι φίλα, ἒ ἔ
et 184 seq. ὦ φίλον Οἰδίπου τέκος, ἔδεισ' ἀκού-
σασα τὸν ἁρματόκτυπον ὄτοβον, ὄτοβον.

Et valde dolent vates domus regiae casum

Ag. 392 ἰώ, ἰὼ δῶμα, δῶμα καὶ πρόμοι
Cf. Ag. 1103 Ἴτυν Ἴτυν στένουσ' ἀμφιθαλῆ κακοῖς
Pers. 953 μυρία μυρία πεμπαστὰν
Cho. 41 ἰὼ γαῖα γαῖα, μωμένα μ' ἰάλλει

(ubi Hermannus recte scripsisse videtur γαῖα γαῖα pro librorum γαῖα μαῖα).

Frequentius interiectiones iteratae sunt, ut Prom. 136 αἰαῖ, αἰαῖ et Cho. 1001; ἰοὺ ἰού Eum. 146; ἰὼ ἰώ Prom. 574. Pers. 976. Sept. 944. Cho. 424; ἰώ, ἰὴ vel fortasse rectius ex Dindorfii emendatione ἰὴ ἰὴ Ag. 1453.

Neque autem rarius epizeuxis in antistropha sola invenitur,

---

[28]) Fortasse his locis addi possunt Eum. 161 ὕπο φρένας, ὕπο λοβόν et 167 περὶ πόδα, περὶ κάρα. [29]) Weilius bene coniecit ὄναρ servato: μάλα δ' ἄγει, — ἄραχνος ὡς βάδην — ὄναρ, ὄναρ μέλαν.

ut Suppl. 826, ubi hunc versum ab Danaidibus pronuntiatum

βαθρείας, βαθρείας, γέρον

subsequuntur verba praeconis Aegyptii

σὺ δ' ἐν ναΐ, ναΐ βάσει τάχα.

Bene ad hunc locum Hermannus ait: „Dubitari non potest quin βαθρείας idem quod βάθρα significet, gradus in quibus et signa deorum posita erant et virgines consederant, scriptumque fuerit ἔχω (pro ἐγὼ 825) βαθρείας. Nam ut sacrum esse hunc quem tenent locum asseverent, iterant hanc vocem: ad quod respondens praeco acerba cum ironia ἐν ναΐ, ναΐ dicit, ipse quoque iterato nominans eum locum in quo mox sint sessurae."

Ac graviter Xerxes queritur Pers. 961 ἄλαστ' ἄλαστα στυγνὰ πρόκακα λέγων ubi metri causa Hermannus recte alterum ἄλαστα addidit. Cf. Pers. 1001. — Saepe interiectiones duplicatae sunt, ut Sept. 986 ἰώ, ἰώ κτλ. et Prom. 603 δὲ τίνες, οἵ, ἒ ἕ.

Interdum epizeuxis in proodo collocata est, ut

Pers. 908 αἰαῖ, αἰαῖ κεδνᾶς ἀλκᾶς

Pers. 910 αἰνῶς αἰνῶς ἐπὶ γόνυ κέκλιται

Ac proodum praeit Ionis exclamatio Prom. 563 ἆ ἆ, ἔα ἔα.

Deinde semel figura illa legitur in mesodo Suppl. 806 seq.

οὐκοῦν, οὐκοῦν

τιλμοί, τιλμοὶ καὶ στιγμοί

sed aliquoties in epodo, ut subinde

Pers. 674 αἰαῖ, αἰαῖ

Pers. 676 τί τᾷδε, δυνάστα, δυνάστα,

Pers. 681 νᾶες, ἄναες, νᾶες

(ut Hermannus scripsit).

Tum in periodo quasi proodica illud schema invenitur Eum. 252

ὅρα, ὅρα μάλ' αὖ, λεῦσσέ τε πάντα μὴ

atque in alloeostrophis Sept. 86

ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ', ὀρόμενον

102 ὢ χρυσοπήληξ δαῖμον, ἔπιδ' ἔπιδε πόλιν

et 105 ἴτ' ἴτε πάντες, ἴδετε παρθένων.

Atque in proodica monodia Prometheus vehementer com-

motus, ubi illa in solitudine aliquem ad se accedere sentit, exclamat

114 ἆ ἆ, ἔα et infra paulo, ubi iterum stupet,

124 φεῦ, φεῦ, τί ποτ' αὖ κινάθισμα κλύω et 136, ubi dolet, ante anapaestos sequentes parodi invenitur αἰαῖ, αἰαῖ

ut similiter in exodo chorus ante anapaestos ponit φεῦ φεῦ Sept. 1039.

In ineunte carmine chori exornatio illa usurpata est, ubi Oceanides fortunam Ionis, quam modo compererunt, commiserantur Prom. 688 ἔα ἔα, ἄπεχε, φεῦ et subinde οὐπώποτ', οὐπώποτε ηὔχουν ξένους et 694 ἰὼ ἰώ, μοῖρα, μοῖρα,

ac reverenter chorus senum, Atossam conspicatus, dicit Pers. 151.

βασίλεια δ' ἐμή. προπίτνω προπίτνω

ubi merito Hermannus epizeuxi usus est.

Cf. Prom 880

ἐλελεῦ, ἐλελεῦ, ὑπό μ' αὖ σφάκελος

et Cho. 841

Ζεῦ, Ζεῦ, τί λέγω, πόθεν ἄρξωμαι.

Postremo duplicato ἆ, quod Dindorfius secundum aliarum interiectionum analogiam ἀᾶ rectius scribi contendit, eximie miratio Orestis exprimitur (Cho. 1044), cum ei visa est nova horrendarum dearum species, quas sequentibus trimetris describit atque similiter Cassandra deo incalescens trimetris sequentibus, quibus et scelera Pelopidarum et parricidium Clytaemnestrae vaticinatur, has exclamationes praemittit Ag. 1173 ἰοὺ ἰού, ὢ ὢ κακά, quae eadem paulo post, ubi domum regiam ingressura est, quasi subita formidine perterrita exclamat 1266 φεῦ φεῦ, quae voces extra metrum positae trimetros stichomythiae repente interrumpunt.

Similiter Io, ubi Prometheus, postquam virgini maiorem partem itineris indicavit, cum postremo Bosporum Cimmerium ei tranandum esse monuit, in hoc labore, ut saevissimo, paulum substitit, trimetros interpellat his interiectionibus 743 ἰώ μοί μοι, ἒ ἔ. —

Atque subito excubitor ille, cum exoptatum ignem conspexit, gaudio perfusus proclamat (Ag. 22) ἰοῦ, ἰοῦ: quae voces quasi extra metrum positae huic loco aptissimae sunt. „Ipsa enim“, inquit Hermannus ad v. 22, „natura flagitat, ut, qui diu frusta finem exspectaverit molestissimae observationis, tandem conspecto exoptato fulgore, priusquam verba quibus gandium eloquatur, inveniat, interiectione aliqua proclamet sensum quo perfunditur“. — Subinde autem, ut antecesserunt, ita sequuntur senarii.

§. 18.

Saepe insignis quaedam dictionis vis posita est in eo quod versus eodem vocabulo exorditur et finitur. Hanc „sermonis in principio versus positi in eiusdem fine repetitionem“ Beda (609,19), Charisio (281,18), Diomede (445,29), Isidoro (I, 35, 11) auctoribus epanalepsin vocaverim. — Ex iis exemplis, quae scriptores illi attulerunt, colligi potest illud schema non fieri nisi eadem forma et principium versus et clausulam teneat. Idem docet Hermogenes (II, 252, 1 seqq.), qui hanc figuram κύκλον nominat: Κύκλος ἐστὶ σχῆμα καὶ αὐτὸ ἑρμηνείας ἴδιον κάλλος ἐμπεριέχον λόγου, γίνεται δὲ ὅταν ἀφ' οὗ ἄρξηταί τις ὀνόματος ἢ ῥήματος, εἰς τὸ αὐτὸ καταλήξῃ πάλιν μήτε πτῶσιν ἐναλλάξας μήτε σχῆμα μήτε χρόνον μήτε ἀριθμὸν μήτε ἄλλο τι, quibus eisdem verbis utitur rhetor anonymus (III, 116, 6 seqq.).

Sed secundum Iulium Rufinianum (50,19 seqq.), qui illam exornationem ἐπαναδίπλωσιν sive inclusionem vocat, potest etiam alia forma vel alius casus poni, ut Verg. Aen. 11,358:

Ipsum obtestemur veniamque oremus ab ipso,

quod exemplum postremum affert ille. —

Maius autem robur sententiae adici eo quod eadem forma in fine versus repetatur nemo non negabit, ut in

Eurip. Bacch. 956 μόνος σὺ πόλεως τῆσδ' ὑπερκάμνεις, μόνος.
Alc. 734 φίλον τὸ φέγγος τοῦτο τοῦ θεοῦ, φίλον.
Rhes. 569 θρασὺς γὰρ Ἕκτωρ νῦν, ἐπεὶ κρατεῖ, θρασύς.
Hipp. 327 κάκ', ὦ τάλαινα, σοὶ τάδ', εἰ πεύσῃ, κακά.

In fabulis Sophoclis haec exempla leguntur:

El. 1337 καλῶς τὰ κείνων πάντα, καὶ τὰ μὴ καλῶς.
Phil. 555 βουλεύματ' ἐστί· κοὐ μόνον βουλεύματα,

in qua epanalepsi simul ἐπανόρθωσιν seu correctionem inesse Schneidewinus recte cognovit. Et in canticis:

El. 214 δεινοῖς ἠναγκάσθην, δεινοῖς·
Trach. 997 οἵαν μ' ἄρ' ἔθου λώβαν, οἵαν,

Apud Aeschylum inveniuntur:

Pers. 652 'Αϊδωνεὺς δ' ἀναπομπὸς ἀνείης, 'Αϊδωνεύς,

cui epanalepsi in antistropha respondet 657:

θεομήστωρ δ' ἐπικλήσκετο Πέρσαις, θεομήστωρ δ'
Pers. 681 νᾶες, ἄναες νᾶες
Sept. 296 ἄταν, ῥίψοπλον ἄταν

(ex Hermanni coniectura).

Sept. 1052 δράτω τι πόλις καὶ μὴ δράτω.
Eum. 319 μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ.

Denique si Iulium Rufinianum sequimur, illis exemplis haec adiungi possunt, ubi in clausula versus alia forma vel alius casus verbi in principio usurpati positus est, ut in

Sophocl. Ai. 841 αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοσφαγεῖς·
El. 786 πεπαύμεθ' ἡμεῖς, οὐχ ὅπως σε παύσομεν.
1141 τέθνηκ' ἐγώ σὺ φροῦδος αὐτὸς εἶ θανών.
Phil. 431 σοφὸς παλαιστὴς κεῖνος· ἀλλὰ χαὶ σοφαὶ
γνῶμαι, Φιλοκτῆτ', ἐμποδίζονται θαμά·
1244 σοφὸς πεφυκώς, οὐδὲν ἐξαυδᾷς σοφόν.

et in canticis:

Ai. 349 φίλοι ναυβάται, μόνοι ἐμῶν φίλων.

atque in Aeschyli

Sept. 876 στένουσι πύργοι, στένει
Ag. 1527 ὄνειδος ἥκει τόδ' ἀντ' ὀνείδους.

Cf. in trimetro Pers. 405 ναῦς — νεώς.

Interdum etiam vis quaedam elocutioni eo adicitur, quod in principio et in clausula versus vocabula eiusdem stirpis ponuntur, ut

Suppl. 496 εὔφημον εἴη τοὔπος εὐφημουμένη.
Eum. 14 ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.
Pers. 342 θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.

§. 19.

Interdum idem verbum, quod in clausula versus est, in principio sequentis ponitur: quod schema Iulio Rufiniano (p. 50,1), Zonaeo (III, 165,24), Anonymo (III, 182,15) auctoribus palillogiam vocem.

Alii aliud huic figurae nomen dederunt (cf. Dzialas. p. 10), sed omnes fere adiciunt, quod Quintilianus (IX, 3,44), hoc schema apud poetas non raro inveniri. Ita legitur haec exornatio in

Sophoclis Phil. 743 seq. κρύψαι παρ' ὑμῖν, ἀτταταῖ· διέρχεται,
διέρχεται. δύστηνος, ὦ τάλας ἐγώ.
et El. 1154 seq. πεμφθεὶς κελεύθους, φίλταθ', ὥς μ' ἀπώλεσας·
ἀπώλεσας δῆτ', ὦ κασίγνητον κάρα.[30])

in quibus repetitionibus magnam vim dictionis inesse nemo negaverit.

Cf. Ai. 1308 seq. Phil. 760 seq. 792 seq.

atque in canticis:

Oed. Col. 243 seq. πατρὸς ὑπὲρ τοὐμοῦ μόνου ἄντομαι,
ἄντομαι, οὐκ ἀλαοῖς προσορωμένα.

Cf. El. 1223 seq. Oed. Col. 119 seq. 123 seq.

Apud Aeschylum semel in continuata oratione illa figura invenitur:

Ag. 545 seq. τί ταῦτα πενθεῖν δεῖ; παροίχεται πόνος·
παροίχεται δή, τοῖσι μὲν τεθνηκόσιν,

ubi congruenter naturae illius schematis (cf. Sept. 865. 909. 962. 856 et Sophocl. El. 1155. Phil. 761, ubi δῆτα iterato verbo additum est) Rauchensteinius παροίχεται δή scripsit pro librorum παροίχεται δὲ: quam emendationem Keckius comprobat.

Et in canticis figuram illam legimus:

Ag. 1060 seq. τί τόδε νέον ἄχος μέγα,
μέγ' ἐν δόμοισι τοῖσδε μήδεται κακόν.

Ita scripsit Hermannus Mediceum secutus, sed Keckius coniecit:

---

[30]) Hoc exemplum commemorat Alexander (III, 20, 24).

τί τόδε νέον βάρος μέγα,
μέγ' ἐν δόμοισι τοῖσδε, μήδεται κακῶν;

quae coniectura nescio an praeferenda sit lectioni librorum. —

Huic exemplo addi potest Sept. 864 seq., si quidem recte eos versus eidem personae i. e. Antigonae Weilius tribuit:

Δι' εὐνωνύμων τετυμμένοι,
τετυμμένοι δῆθ',

Hermannus quidem illos inter duo hemichoria divisit, quippe cum saepe alterum hemichorium elocutionem ab eodem vocabulo incipiat vel pergat, quo prius sententiam conclusit, ut Sept. 908 seq., postquam hemichorium peroravit χερσὶν ὁμοσπόροισιν, alterum affirmans et adstipulans ait: ὁμόσποροι δῆτα καὶ πανώλεθροι. Cf. Sept. 855 seq. Similiter in illo carmine, quo sorores alternis versibus casum fratrum commiserantur, simul Ismena dixit 961: σωθεὶς δὲ πνεῦμ' ἀπώλεσεν, eloquitur Antigona: ὤλεσε δῆτα, ναί, ubi „ὤλεσε omissa praepositione repetit praecedens verbum ἀπώλεσεν, ut saepius fit in eiusmodi repetitione". (cf. Hermann. ad v. 962). Libri dederunt ἀπώλεσεν (aut ἀπώλεσε) δῆτα.

Frequentius autem genus illud palillogiae in stichomythiis invenitur. Persaepe enim stichomythia ita instituitur, ut alter ab eodem verbo, quo aliquis postremo usus est, sermonem ordiatur, ut Suppl. 192 seq., ubi versum chori

κεδνὰς ἐφετμάς· Ζεὺς δὲ γεννήτωρ ἴδοι sequitur

Danai ἴδοιτο δῆτα πρευμενοῦς ἀπ' ὄμματος.

Merito Hermannus hunc versum, qui in libris post tres illos sequentes positus erat, suo loco reddidit. Conferri possunt cum his Suppl. 202 et 203, ubi, cum chorus de Apolline precans dixit:

εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη βροτοῖς,

Danaus pergit:

συγγνοῖτο δῆτα καὶ παρασταίη πρόφρων.

Cf. Prom. 72 seq. 260 seq. 387 seq. 520 seq. 745 seq. 981 seq. Sept. 784 seq. Ag. 516 seq. 898 seq. Eum. 577 seq., et in diverbiis: Suppl. 360 seq. 919 seq. Prom. 260 seq. 780 seq. 990 seq.

§. 20.

Persaepe in eodem versu diversi casus eiusdem nominis iterati subinde subiuncti sunt, ut in postremo illo exemplo, quod Beda (609,27) nomine epizeuxis affert ex psalmo (19,3): „Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam“. Carmen de figuris scriptum profert exemplum illi ab Beda allato simillimum (p. 67 v. 96): „Dignos digna manent“ atque hoc schema μετάκλισιν seu declinationem dicit. Recentiores autem viri docti talem congeriem vocabulorum, qualis est in Aesch. Pers. 1010 δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς (cf. Wellauer. ad h. l.) et in Sophocl. Ai. 866 πόνος πόνῳ πόνον φέρει (cf. Lobeck ad h. v.) et in Euripid. Hecub. 584 λύπη τις ἄλλη διάδοχος κακῶν κακοῖς (cf. Porson. ad h. v.), parechesin nominaverunt. Saepissime autem atque libenter hac figura Graecos universos esse usos et Lobeckius (l. c. et Paralip. p. 56 seqq.) multis exemplis illustravit et ingens numerus locorum Aeschyleorum docet. Neque negandum est hac re sententiam vel orationem mirifice exornari et adaugeri. „Namque similis coniunctorum sonus atque significatio et ad aures fortius accidit et animum diutius in eadem cogitatione defigit et persaepe intellectum adiuvat orationemque acriorem reddit et instantiorem“. (vid. Lobeck. Paralip. p. 531): id quod lucide, ut exemplo illam rem explanem, apparet, si verba illa psalmistae in Graecum versa cum Germanicis conferimus. Locus ille psalmi (19,3)

יוֹם לְיוֹם יַבִּיעַ אֹמֶר וְלַיְלָה לְּלַיְלָה יְחַוֶּה־דָּעַת׃

Graece in editione Leandri van Ess (Lipsiae 1824) figura illa, quam Hebraicus sermo habet, servata ita redditus est: ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν, sed Germanice a Luthero, figura illa neglecta, ita: „Ein Tag sagt es dem andern, und eine Nacht thut es kund der andern“.

Ut hic item alibi, ubi Graeci idem vocabulum paulo declinatum iterant significanter, nos ieiuna et exili voce „der andere“ utimur, ut

Suppl. 213 ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;

Sept. 334 seq. ξυμβολεῖ φέρων φέροντι, — καὶ κενὸς κενὸν καλεῖ.

Cf. Pers. 375. 403. Ag. 267. —

Aliis multis locis, ubi eaedem notiones gravius opponuntur vel coniunguntur, ne Germanica quidem lingua repetitione eiusdem vocis carere potest, ut

Suppl. 430 γένοιτο μύθου μῦθος ἂν θελκτήριος, 435 πολλοῖς πολλά.

Prom. 19 ἄκοντά σ' ἄκων, 29 θεὸς θεῶν, 220 ἑκόνθ' ἑκόντι, 232 ἄλλοισιν ἄλλα, 513 ταῦτα ταύτῃ, 672 ἄκουσαν ἄκων, 959 νέον νέοι.

Pers. 406 κόρυμβ', ἐπ' ἄλλην δ' ἄλλος ἴθυνεν δόρυ,

ubi cum singulari quadam brachylogia duae constructiones miscentur: ἄλλος ἐπ' ἄλλον et ἄλλη ἐπ' ἄλλην. 523 πιστοῖσι πιστά.

Sept. 418 κέρδει κέρδος, 490 ἀνὴρ ἀνδρί, 655 ἄρχοντί τ' ἄρχων, καὶ κασιγνήτῳ κάσις.

Ag. 619 πολλοὺς δὲ πολλῶν, 803 αὐτὸς αὑτοῦ, 1171 οὐδέν' οὐδέν, 1234 ὁ μάντις μάντιν, 1277 γυνὴ γυναικὸς, 1334 ἐχθροῖς ἐχθρὰ.

Cho. 79 παρὰ φίλης φίλῳ 689 ξένου ξένοισιν, 836 αὐτὸν αὑτῶν.

Eum. 633 ταῦτα τούτοις, 651 ξένῳ ξένη

atque in canticis:

Suppl. 126 θέλουσα δ' αὖ θέλουσαν, 131 ἀδμήτας ἀδμήτα, 610 ἀγαθὰς ἀγαθῶν, 611 ξένιος ξενίου, 1041 δίκᾳ δίκας. Prom. 194 σπεύδων σπεύδοντι. Pers. 25 βασιλῆς βασιλέως Sept. 323 ἄλλος δ' ἄλλον, 951 ἀδελφέ' ἀδελφεῶν. Ag. 112 βασιλεὺς βασιλεῦσι, 1299 τοῖσι θανοῦσι θανών, 1392 τύμμα τύμματι. Cho. 146 ὀλόμενον ὀλομένῳ, 350 φίλος φίλοισι, 455 Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ, Δίκα Δίκᾳ, 950 δόλιά σε δολίαν (ex coniectura Hermanni). Eum. 981 φίλας φίλοις, 994 seq. ἀγαθῶν — ἀγαθῇ.

His exemplis addendi sunt ei loci, ubi nominativo vel vocativo subiungitur genetivus eiusdem vocabuli notionis augendae causa. Ita

Pers. 682 ὦ πιστὰ πιστῶν ἥλικές θ' ἥβης ἐμῆς

habent verba πιστὰ πιστῶν vim superlativi neque quidquam aliud haec ad orientis populorum ingenium conformata formula, δέσποτα δεσπότου (Pers. 668), quam auget rem, „o qui maxime et verissime dominus es" (cf. Hermann. ad h. l.). —

At nescio an Dindorfii emendatio δέσποτα δεσποτᾶν illi scripturae praeferenda sit cum praesertim comparemus

Suppl. 508 seqq. ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων
μακάρτατε καὶ τελέων
τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ.

Eandem formulam in Ag. 493 Ἑρμῆν, φίλον κήρυκα κηρύκων σέβας intellegendum esse suspicatur Keckius. Hermannus dedit: Ἑρμῆν, φίλον κήρυκα, κηρύκων σέβας.

Ex omnibus his exemplis cognoscimus diversas illas formas eorundem vocabulorum, quae ad se invicem referenda erant, non interposita voce separatas esse nisi Ag. 619 πολλοὺς δὲ πολλῶν (Cho. 950, ubi Mediceus dedit ἀδόλωσ δολίασ, quod Hermannus in δόλιά σε δολίαν mutavit, praetermitto), et Ag. 267 φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν et Pers. 375 τάξις δὲ τάξιν, ubi num intermissio, quoniam vocula illa δέ minutissima est, vel percepta sit dubito. Idem de interiectis σ' (Prom. 19), τ' (Sept. 655), γ' (Eum. 427), δ' (Pers. 406, Suppl. 126, Sept. 323) iudicaverim, quoniam easdem particulas saepe etiam articulo et nomini, quae colligatio artissima ducitur, interponi satis constat. — Ac societate quadam inter se naturali sunt iuncta praepositio et casus. Quamobrem minime mirabimur, quod plerumque formae illae eiusdem nominis per praepositionem separatae sunt, ut

Prom. 683 γῆν πρὸ γῆς, 1016 αὐτὴ καθ' αὑτήν, 1046 ἐχθρὸν ὑπ' ἐχθρῶν. Pers. 410 αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν, 781 πολλὰ σὺν πολλῷ. Sept. 175 αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν, 387 καὐτὸς καθ' αὑτοῦ, 485 ἀνὴρ κατ' ἄνδρα, 656 ἐχθρὸς ξὺν ἐχθρῷ. Ag. 298 ἄλλος παρ' ἄλλου, 1069 χεὶρ ἐκ χερός. Cho. 217 αὐτὸς καθ' αὑτοῦ, 652 ἀνὴρ πρὸς ἄνδρα, 723 ἀνὴρ ἀπ' ἀνδρός, 663 ἁγνὼς πρὸς ἁγνῶτ'. (Cf. Eum. 403 ἐν θεαῖσι πρὸς θεῶν.)

Saepe autem, ne verba eiusdem stirpis seiungerentur, praepositio et aptus casus priorem locum occupaverunt, ut

Suppl. 933 ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθοῖσι. Sept. 329 πρὸς ἀνδρὸς δ' ἀνήρ. Cho. (306 ἀντὶ μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ γλῶσσα sed) 309 ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν πληγήν. —

Atque schematis illius gratia Sept. 432 ἄλλον ἄλλαις ἐν πύλαις praepositio ἐν post ἄλλαις posita est.

Idem denique studium vocabulorum consonorum deinceps conserendorum maxime ex his: Prom. 763 πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ et 925 ἐπ' αὐτὸς αὑτῷ cognoscitur. (Cum his conferri potest Prom. 278

πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον. Ut hic ita huius stirpis voces conglutinatae sunt: Pers. 354 ἄλλος ἄλλοσε, Ag. 573 et Eum. 496 ἄλλος ἄλλοθεν. Ag. 92 ἄλλη δ' ἄλλοθεν, Sept. 1057 ἄλλως ἄλλοτ'.)

Ex omnibus exemplis, quae attuli, iam haec lex colligi potest: natura metaclisis vel parechesis flagitat, ut vocabula, quae ad se invicem referuntur, deinceps ponantur ἀσυνδέτως ac quidem ita, ut diversi casus vel formae varie declinatae continuo subiungantur.

Quae cum ita sint, Pers. 783 Turnebi scripturam Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς ὢν νέος νέα φρονεῖ ceteris omnibus praeferam, cum praesertim Lobeckius (ad Soph. Ai. 1120) productionem vocalis α ante φρονεῖ positae probaverit. Erfurdtius (ad. Soph. Ai. 1109) correxit φρονεῖ νέα probantibus Monkio (ad Eurip. Hipp. 1284) et Hermanno (ad Soph. Ai. 1099), qui postea recepit emendationem, quam Meinekius in hist. cr. com. Graec. p. 202 proposuit, ἐνεὸς ὢν ἐνεὰ φρονεῖ. Sed utraque coniectura tollitur chiasmus ille gratissimus ne dicam legitimus, quem Turnebus praebet. —

At quae vetat vocabula varie declinata interposito verbo separari, eadem lex praecipit, ne eaedem formae iuxta collocentur. Bene igitur ac recte Ellendtius ad Cic. de orat. II, 84, 343 scribendum esse „alia est alia ad laudationem aptior" censet: „deinceps" inquit, „poni duo alia non potuerunt secundum legem parisosis, quae cum usitatissima sit, tamen non videtur satis nosci: ne vocabula plane eadem, sed similia iuxta poni videantur. Qua de causa cum fit iteratio vocabuli, non eadem forma utrobique, sed paulo mutata opus est: ut alius aliud, alter alterius et similia recte dicantur, sed hic cum formae scriptura pares vix pronuntiando differant, separari eas oportuit."

Atque Aeschylus quidem praeceptum illud sedulo et scrupulose observavit. Ita Eum. 787 αὐτός θ' ὁ φήσας (Turneb. ὁ χρήσας) αὐτὸς ἦν ὁ μαρτυρῶν pronomina seiuncta sunt et 555 ἔπος δ' ἀμείβου πρὸς ἔπος ἐν μέρει τιθείς duo accusativi aliquantulo distant. Ac ne quis Δίκα Δίκᾳ (Cho. 455) verbis Ellendtii repugnare existimet, hoc loco iota subscriptum legentem ad recte inter-

pretandum adiuvat et audientem antecedentes voces Ἄρης Ἄρει ξυμβαλεῖ adducunt, ut recte dignoscat et intellegat. Bene et ad naturam parallelismi accommodatissime Hermannus posuit Δίκα Δίκᾳ. Est enim „ordo verborum in hoc parallelismo legitimus, ut rectus casus praecedat, obliquus sequatur" (cf. Lobeck. ad Soph. Ai. 467). Weilius hanc legem neglegens dedit Δίκᾳ Δίκα.

§. 21.

Ex omnibus illis exemplis satis apparet, quantopere Graeci id egerint, ut verba congenerata congregarent: quod idem studium vel maxime figura etymologica (cf. Eustath. ad Homer. Il. I, 480 τρόπος ἐτυμολογικός et ad Il. IV, 323 σχῆμα ἐτυμολογίας) illustratur, quam Volkmannus (p. 408) in generibus paronomasiae numerat respiciens verba Diomedis (p. 446, 13): „Paronomasia est veluti quaedam denominatio, cum praecedenti nomini aut verbum aut nomen adnectitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit, facinora fecit, gratas gratias, Creta decreta est, pugna pugnata est."

Saepe ut hoc primum expediam, verbum obiecti loco habet nomen, cui est eadem vel affinis stirps quodque a verbo nihil differt nisi hoc, quod diversae adsignatur orationis parti, ut eiusmodi nomina, quia ad verbi notionem nihil novi adiciant, videantur quasi otiosa esse ex abundantique addita. Sed re vera eadem notio bis iterata verbo et nomine animum diutius in eadem cogitatione defigit et persaepe intellectum adiuvat orationemque acriorem et graviorem reddit quam verba illa auxiliaria, quibus nos utimur: machen, thun, haben, quae et ieiuna atque quasi exsanguia sunt neque quidquam ad perspicuitatem et evidentiam conferunt. (vid. Lobeck. Paralip. p. 552). —

Ita accusativus cum verbo eiusdem stirpis coniunctus est:

Prom. 473 πέπονθας αἰκὲς πῆμ', 693 ψύχειν ψυχὰν ἐμάν, 760 γαμεῖ γάμον τοιοῦτον, 913 οἷον γάμον γαμεῖν, 916 (ἀρὰ) ἣν — ἠρᾶτο. —

Pers. 218 χοὰς — χέασθαι, 683 τίνα πόλις πονεῖ πόνον; 715 ὡς

εἰπεῖν ἔπος[31]) (de quo vid. Lobeck. Paralip. p. 59 seq. Plerumque enim legitur hic ordo: ὡς ἔπος εἰπεῖν, „Aeschylum vero, ut εἰπεῖν ἔπος illo loco scriberet, versus ratio permovit.") Ag. 1150 ὑμνοῦσι δ' ὕμνον, 1303 ὤμοι πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω (ubi Weilius eiecto πληγήν, quod pro interpretamento habet, scribere mavult πλευρῶν ἔσω, Keckius proposuit δέρης ἔσω), 1438 κράτος τ' ἰσόψυχον ἐκ γυναικῶν — καρδιόδηκτον ἐμοὶ κρατύνεις, 1442 ὕμνον ὑμνεῖν. —

Cho. 77 χέουσα τάσδε κηδείους χοάς (cf. 150), 96 λέξεις — τὸν ἐκ φρενὸς λόγον, 492 ἢ τὰς ὁμοίας ἀντίδος λαβὰς λαβεῖν (quam coniecturam Canteri Hermannus recepit pro βλάβας λαβεῖν Medicei).

Eum. 7 δίδωσιν — γενέθλιον δόσιν, 148 ἐπάθομεν πάθος, 508 οἶκτον οἰκτίσαιτ'. (cf. Suppl. 845 seq.)

Postremo notandum est Prom. 386, ubi libri dederunt ἔα με τῇδε τῇ νόσῳ νοσεῖν, correctorem in apographo uno posuisse τήνδε τὴν νόσον. „Is enim", inquit Dindorfius, „ignoravit scriptores antiquiores dativum in hac formula praetulisse accusativo."

§. 22.

Iam vero ad idem studium vocum similium consociandarum pertinent epitheta composita nominibus eiusdem stirpis subiuncta, qua re saepe sententia mirifice exornatur atque acuitur. —

Ita in τηλέπλανοι πλάναι (Prom. 575) et πολύπλανοι πλάναι (Prom. 585) notio nominis adiectivo repetita cum gravitate enuntiatur ad affectus concitandos aptissima. Deinde „sicuti", ut verbis Io. Schmidtii[32]) utar, „in carminibus homericis Paris Δύσπαρις vocatur, quia causa calamitatis est, tragici, ut ea quae plena infortunii sunt vehementius exprimant, notionem nominis epitheto repetunt, praemissa vocula δύς. Ita Aeschylus dixit φροιμίοις δυσφροιμίοις Ag. 1175, πώματος δυσπότου Eum. 263, θέαμα δυσθέατον ὄμμασιν Prom. 69." — Primum horum exemplorum Schmidtius ex coniectura Hermanni attulit. Libri enim ha-

---

31) Cf. Eustath. ad Il. I, 543: „Τὸ δὲ, εἰπεῖν ἔπος, ὡς καὶ τὸ εἶπας ἔπος, τρόπος ἐτυμολογίας ἐστίν. 32) Ioannes Schmidt, de epithetis compositis in tragoedia Graeca usurpatis. Berol. 1865. 8. p. 43 seq.

buerunt: φροιμίοις ἐφημένους. Sed hoc participium e versus insequentis fine in v. 1175 irrepsisse omnes critici confirmant. „Lacunam“, inquit Weilius, „viri docti variis coniecturis expleverunt: Herm. φροιμίοις δυσφροιμίοις, Karst. φροιμίοις φαντασμάτων. Sed monometer iambicus cum saepius in tragoediis trimetro praemittatur, dimeter, nisi fallor, nunquam, probabilius mihi visum est, δεινὸς (1174) in δεινοῖς mutato, verba ὢ ὢ κακά transponere.“ — Restituit igitur monometrum iambicum 1173 ἰοὺ ἰού et posuit in causula v. 1175 φροιμίοις ὢ ὢ κακά: quam emendationem Keckius comprobavit. —

Denique locis illis, quos Schmidtius citavit, fortasse addi potest Pers. 703, ubi libri dederunt λέξας δύσλεκτα φίλοισιν, quod Teuffelius et Dindorfius servaverunt. Hermannus autem, qui neque aoristum ferebat et anapaestum desiderabat, scripsit προλέγων δύσλεκτα φίλοισιν. Weilius recepit Heimsoethii coniecturam ἐρέων δύσρητα φίλοισιν. —

Hoc exemplum, quamvis non substantivum et epitheton hic legantur sed verbum et adiectivum verbale, tamen memorandum esse putavi, quoniam etiam hoc loco de industria congenerata vocabula coniuncta sunt: qua re cognita Heimsoethius, quod prius (Wiederh. p. 409) proposuerat, ἐρέων δύσλεκτα φίλοισιν mutavit in ἐρέων δύσρητα φίλοισιν (indir. Ueberl. p. 28).

„Paulum“, pergit Io. Schmidtius p. 44, „ab his (sc. cum δυς compositis) differunt adiectiva cum α priv. composita; quorum primaria quidem vis est, ut notioni substantivo expressae contrarium ita apponant ut nova evadat.“ Sic Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες Eum. 1015 dicuntur Noctis filiae quae non iam aetate filiae sunt, i. e. grandaevae. Sed cum id, quod naturae suae repugnat, atrox aliquid ac funestum esse soleat, haec notio semper fere accedit, ut

Prom. 544 ἄχαρις χάρις. Ag. 1510 ἄχαριν χάριν. Cho. 40 τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν (ubi Hermannus et Kirchhoffius Emsleii coniecturam ἀχάριτον pro librorum ἄχαριν receperunt). Ag. 1101 νόμον ἄνομον. Eum. 449 σὺ Τροίαν ἄπολιν Ἰλίου πόλιν ἔθηκας. Prom. 907 ἀπόλεμος ὅδε γ' ὁ πόλεμος, ἄπορα πόριμος. Cf. Pers. 681 νᾶες, ἄναες νᾶες. Suppl. 828 θέλεος ἀθέλεος, 1027 θέλγοις ἂν ἄθελκτον. Ag. 390

ἄτλητα τλᾶσα. Cho. 393, ubi Orestes cum dicacitate quadam enuntiat: δίκαν δ' ἐξ ἀδίκων ἀπαιτῶ. Prom. 14 χθόνα ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.

Denique nonnulla exempla addenda sunt, ubi notiones aliquid adversi significantes adaugentur eo quod cum πρό vel περί compositae eaedem voces subinde repetuntur, ut Pers. 959 κακὰ πρόκακα calamitates prae aliis malae vel mala ingentia sunt et Eum. 163 βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος (ubi cum Wakefieldio scribere malo βαρύ τι περίβαρυ κρύος) gravis praegravis horror dicitur. — Similiter sententiae funestae per πᾶς vel πάνυ amplificatae sunt Pers. 977 κακόν, πάγκακον (si quidem Hermannus recte coniecit) et Cho. 862 οἴμοι πανοίμοι et Ag. 1418 seqq. ἰὼ ἰὼ παράνους Ἑλένα (Keckius dedit ἰὼ Ἑλένα κατ' ἐπωνυμίαν) μία τὰς πολλάς, τὰς πάνυ πολλὰς ψυχὰς ὀλέσασ' ὑπὸ Τροίᾳ. —

His adiungi possunt πάτερ αἰνόπατερ Cho. 312, pater infelicissime et ἀπέρωτος ἔρως Cho. 592, odiosus amor et πόλις νεόπτολις Eum. 682, urbs recens urbs i. e. urbs recens condita. Cf. Cho. 556 ξένος τε καὶ δορύξενος δόμων.

§. 23.

Egregia venustas et paronomasia saepe eo efficitur, quod eadem verba a diversis vocibus compositivis incipiunt: qua re quanto acrior antithesis reddatur

Eum. 198 seq. αὐτὸς σὺ τούτων οὐ μεταίτιος πέλει,
ἀλλ' εἷς τὸ πᾶν ἔπραξας ὢν παναίτιος.

quis non senserit? Ac graviores hoc modo partes Danao imponuntur

Suppl. 11 seq. Δαναὸς δὲ πατὴρ καὶ βούλαρχος
καὶ στασίαρχος τάδε πεσσονομῶν.

Weilius opinatus verba a grammatico traiecta esse scripsit

Δαναὸς δὲ πατὴρ τάδε πεσσονομῶν
καὶ βούλαρχος καὶ στασίαρχος.

Videbantur enim ei καὶ βούλαρχος καὶ στασίαρχος, et consilii auctor et secessionis dux, ad idem colon referenda et a voce πατήρ separanda. —

Tum mirifice exaggerantur opes Xerxis his vocabulis simi-

liter exeuntibus Pers. 48 δίρρυμά τε καὶ τρίρρυμα τέλη. Cf. Sept. 518 seq. προσίσταται — ἐφίσταται.

Neque autem minus elegantiae et evidentiae studium ex iis exemplis apparet, ubi in utroque verbo priores partes idem significant, sed secundae et sono et notione paulum discrepant ut Ag. 465 ταχύπορος· ἀλλὰ ταχύμορον praeclare in utroque epitheto notio celeritatis coniuncta est cum contrapositis πόρος et μόρος.

Deinde saepe cum ubertate quadam dicendi notio αὐτός premitur, ut Eum. 171 αὐτόσσυτος, αὐτόκλητος. Sept. 715 αὐτοκτόνως — αὐτοδάϊκτοι θάνωσιν. (Ita scripsit Hermannus, at Heimsoethii coniecturam αὐτοκτόνοι καὐτοδάϊκτοι praefert Weilius arbitratus illud active, hoc passive accipiendum esse.)

Sept. 892 seq. δαϊκτὴρ γόος αὐτόστονος αὐτοπήμων
δαϊόφρων

ubi αὐτόστονος a Dindorfio Latine redditur: sua mala gemens, αὐτοπήμων: sua mala habens. Commemoranda est praeterea hoc loco annominatio vocum δαϊκτήρ et δαϊόφρων. Δαϊόφρων (luctificus, ut vertit Blomfieldius) ab δάϊος (miser) derivandum est, non, ut δαϊκτήρ (lacerans) ab δαΐζω.

Iam vero eodem, quo αὐτός, pertinent πᾶς, πολύς, adverbia numeralia in vocabulis repetita. Ita cum magniloquentia quadam Suppl. 121 Iupiter πατὴρ παντάρχας παντόπτας appellatur, de quo eodem Ag. 1454 παναιτίου πανεργέτα et Sept. 110 πάτερ παντελές, πάντως ἄρηξον δαΐων ἅλωσιν dicuntur. Cf. Pers. 277 πάντα παγκάκως. Sept 533 πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο, deinde Sept. 651 seq., ubi Eteocles quasi ironice ait:

ἦ δῆτ' ἂν εἴη πανδίκως ψευδώνυμος
Δίκη, ξυνοῦσα φωτὶ παντόλμῳ φρένας.

Tum frequentem concursum civium depingens chorus canit Sept. 277 seqq.

τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους
πανδημεὶ πανομιλεὶ
στείχουσιν.

Similem vim habent voces πολύχειρ καὶ πολυναύτης Pers. 84 immanes manus Xerxis indicantes. —

Postremo egregie designatur duplex, ut ita dicam, impe-

rium Atridarum Ag. 43 διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶν, sed unius potestas laudibus effertur his Suppl. 358 seq.

μονοψήφοισι νεύμασιν σέθεν,
μονοσκήπτροισι δ' ἐν θρόνοις χρέος.

Maxime vero elegantia illa tragicae orationis ex congerie vocabulorum ab δυς incipientium cognoscitur: qua redintegratione res funestae eximie exprimuntur. Ita ingentia mala, quibus Prometheus urgetur, praeclare illustrantur his: δυσθέατα καὶ δύσοιστα πήματα (691) et Helena Priamidis pestifera Ag. 718 merito δύσεδρος καὶ δυσόμιλος vocatur. Cf. Sept. 817 seq. δυσμόρως et δύσορνις.

Denique ad idem genus pertinet congeries vocum ab α privativo incipientium, ut

Ag. 207 ἄναγνον ἀνίερον (de ἀν — ante vocales collocato vid. Lobeck. Phryn. p. 728), 738 τὰν ἄμαχον, ἀπόλεμον, ἀνίερον. Cho. 49 σέβας δ' ἄμαχον ἀδάματον ἀπόλεμον. Eum. 348 ἀγέραστος ἄμοιρος ἄκληρος, 554 ἄκλαυστος, αἶστος, 777 et 804 λειχὴν ἄφυλλος, ἄτεκνος. Pers. 860 ἀπόνους ἀπαθεῖς.

Ac similiter interdum vocabula congregantur quorum priores partes idem significant et amplificant sive aliquid adversi, ut

Pers. 915 κακοφάτιδα βοάν, κακομέλετον ἰάν. Sept. 935 μελεόπονος· μελεοπαθής, Suppl. 720 δολόφρονες δ' ἄγαν καὶ δολομήτιδες, sive aliquid grati, ut Sept. 159 et 161 φιλοπόλεις et φιλοθύτων.

Cum exemplis illis conferri possunt ii loci, ubi verba synonyma ab eisdem praepositionibus incipiunt, ut

Prom. 638 τἀποκλαῦσαι κἀποδύρασθαι. Ag. 69 οὔθ' ὑποκλαίων οὔθ' ὑπολείβων, 1518 κάππεσε, κάτθανε καὶ καταθάψομεν. Cho. 711 νῦν ἐπάκουσον, νῦν ἐπάρηξον.

Similiter cumulata sunt substantiva: Eum. 327 παρακοπά, παραφορά φρενοδαλής, et adiectiva: Ag. 1075 ἀλλ' ἄρκυς ἡ ξύνευνος, ἡ ξυναιτία φόνου, et adverbia: Cho. 422 ἄνωθεν, ἀνέκαθεν.

§. 24.

Postremo commemorandae sunt tales annominationes, qualibus Aeschylus Ag. 665 usus est

Ἑλέναν, ἐπεὶ πρεπόντως
ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις

et Prom. 85 seq. et 383, ubi nomen Προμηθεὺς ab προμηθεῖσθαι ducitur, et Ag. 1039 seqq.

Ἀπόλλων, Ἀπόλλων
ἀγυιᾶτ' ἀπόλλων ἐμός·
ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον,

ubi Ἀπόλλων derivatur ab ἀπόλλυμι, ut altero loco ἀπόλλων ἐμός idem significet quod ἀπολλὺς ἐμέ. — Paulum ab illis lusus etymologici exemplis differt

Sept. 131 καὶ σύ, Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ
στρατῷ δαΐῳ,

ubi mihi rectius Passowius scripsisse videtur:

καὶ σύ, Λύκει' ἄναξ, λύκειος γενοῦ
στρατῷ δαΐῳ,

i. e. „werde dem Feindesheer ein wölfischer, d. i. ein Tod und Verderben bringender.“ In hoc et praecedente exemplo reperiri existimo figuram illam, quam Rutilius Lupus (p. 8, 14) διαφοράν vocat. „Hoc schema est“, inquit, „cum verbum iteratum aliam sententiam significat ac significavit primo dictum. Id est huius modi: Hunc tu, frater eiusdem sanguinis particeps, in hac fortuna deserere potuisti, cuius aerumnae quemvis etiam extrarium hominem, modo hominem, commovere possent? Item in Enni versu:

Mulierem: quid potius dicam aut verius quam mulierem?“

Huic figurae similis est ἀνάκλασις. „Hoc schema,“ inquit Rutilius Lupus (p. 5, 17), „fieri solet, cum id quod ab altero dictum est, non in eam mentem quae intellegitur, sed in aliam aut contrariam accipitur.“ Huiusmodi exempla sunt apud Aeschylum Ag. 898 seq., ubi cum Agamemno invidiam deorum veritus recusasset ne per peristromata conchyliata incederet, Clytaemnestra pronuntiavit: καὶ μὴν τόδ' εἰπὲ μὴ παρὰ γνώμην ἐμοί „ganz recht, nur sage mir dies nicht wider meine Ansicht.“ „Worauf Agamemnon“, inquit Keckius, „γνώμην prägnant als bessere Einsicht, Vernunft fassend, erwidert: γνώμην μὲν ἴσθι μὴ

διαφθεροῦντ' ἐμέ: Sei überzeugt, dass ich der Vernunft nicht ins Angesicht schlagen werde.“ —

Atque Pers. 294, ubi nuntius affirmavit:

Ξέρξης μὲν αὐτὸς ζῇ τε καὶ βλέπει φάος
Xerxes quidem ipse vivit atque lucem videt,

Atossa φάος illud excipiens respondet:

ἐμοῖς μὲν εἶπας δώμασιν φάος μέγα,
καὶ λευκὸν ἦμαρ νυκτὸς ἐκ μελαγχίμου.

quo loco non tam lux vitae quam lux magna seu felix i. e. salus vel spes intellegitur.

Postremo Eum. 226, cum Furiae Apollinem monent:

τιμὰς σὺ μὴ σύντεμνε τὰς ἐμὰς λόγῳ

deus illas ironice mulcet:

οὐδ' ἂν δεχοίμην ὥς τ' ἔχειν τιμὰς σέθεν.

τιμάς non decora, sed dedecora interpretatus.

§. 25.

Tum acrimonia quaedam et vis sententiis saepe eo adicitur quod eadem forma verbi bis ponitur sed altero loco cum negatione coniuncta, ut

Suppl. 364 seq. ἀμηχανῶ δὲ καὶ φόβος μ' ἔχει φρένας
δρᾶσαί τε μὴ δρᾶσαί τε, καὶ τύχην ἑλεῖν

et Prom. 106

ἀλλ' οὔτε σιγᾶν οὔτε μὴ σιγᾶν τύχας
οἷόν τέ μοι τάσδ' ἐστί.

Cui non in mentem venit illud Shakespearei: „To be, or not to be, that is the question“, cum illos locos legit?

Cf. Prom. 625 τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε
Sept. 183 ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῇ λέγω;
et 96 ἀκούετ', ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον;
Cho. 1005 ἔδρασεν ἢ οὐκ ἔδρασε, μαρτυρεῖ δέ μοι
Sept. 1052 δράτω τι πόλις καὶ μὴ δράτω.
Ag. 39 μαθοῦσιν αὐδῶ, κοὐ μαθοῦσι λήθομαι.
Sept. 408 θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
καὶ μὴ θέλοντός φησιν.

§. 26.

Postremo eadem forma verbi in formulis aposiopesis figurae libenter repetitur, ut Eum. 671 ἠκούσαθ' ὧν ἠκούσατ' et Prom. 262

ἥμαρτες; ὡς δ' ἥμαρτες οὔτ' ἐμοὶ λέγειν
καθ' ἡδονήν, σοί τ' ἄλγος. ἀλλὰ ταῦτα μὲν
μεθῶμεν, ἄθλου δ' ἔκλυσιν ζήτει τινά,

quo loco nullus magis idoneus videtur ad figuram illam illustrandam. „In hoc enim", inquit Hermannus ad Viger. p. 868, „loquendi modo inchoata oratio abrumpitur. Eius variae causae et rationes sunt, ut cum quid prae aliquo animi motu reticemus vel cum veremur aliquid ut impium aut male ominatum proloqui vel denique cum omittimus, quae alterum scimus ipsum additurum esse." Cf. Ag. 1247 πράξασαν ὡς ἔπραξεν et Cho. 767 μέλει θεοῖσιν ὧνπερ ἂν μέλῃ πέρι, de quo genere Hermannus ad Viger. p. 709 disputavit. Laudaus enim Eurip. Or. 79 ἔπλευσ', ὅπως ἔπλευσα, θεομανεῖ πότμῳ „formulam" inquit „ἔπραξεν ἃ ἔπραξεν, et similes, usurpant ii, qui rem clarius exponere aut nolunt aut nequeunt."

Denique aposiopesis quaedam recte ab Keckio perspecta est in Ag. 1008 πείθοι' ἄν, εἰ πείθοι'· ἀπειθοίης δ' ἴσως, quibus verbis chorus Cassandram monet, ut Clytaemnestrae obsequatur et temporibus cedat. „Du würdest folgen, wenn du dich überreden liessest, aber in gleicher Weise d. h. mit gleichem Erfolge würdest du ungehorsam sein d. h. du würdest dann folgen müssen, durch die Gewalt gezwungen." (Cf. Keck. p. 369). — Aliquanto autem ab hoc loco differt Ag. 1354, ubi Clytaemnestra Agamemnone necato cum acerba ironia chorum alloquitur: χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτ', ἐγὼ δ' ἐπεύχομαι: „ihr würdet euch freuen, wenn ihr euch freutet, d. h. ob ihr euch freut oder nicht, ist eure Sache; ich aber rühme mich der That." (vid. Keck l. c.)

§. 27.

In plerisque horum exemplorum eaedem formae verbi repe-

titae erant. Neque autem raro diversae formae eiusdem verbi rhetorica quadam vi in eodem versu collocatae sunt, ut verbum finitum et participium:

Prom. 448 seq. οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην,
κλύοντες οὐκ ἤκουον.
Ag. 1592 οὐχ ὁρᾷς ὁρῶν τάδε;
Sept. 229 μὴ νῦν ἀκούουσ' ἐμφανῶς ἄκου' ἄγαν

Cf. Sept. 932. Ag. 325. Cho. 448. Eum. 97. Ag. 1530

aut verbum finitum et infinitivus:

Prom. 344 seq. μηδὲν πόνει· μάτην γὰρ οὐδὲν ὠφελῶν
ἐμοὶ πονήσεις, εἴ τι καὶ πονεῖν θέλοις.

Cf. Eum. 874. Sept. 995. Prom. 719. Cho. 676.

aut infinitivus et participium:

Suppl. 162 παῖδες, φρονεῖν χρή. ξὺν φρονοῦντι δ' ἥκετε.
Prom. 387 κέρδιστον εὖ φρογοῦντα μὴ δοκεῖν φρονεῖν
Ag. 523 ποθεῖν ποθοῦντα τήνδε γῆν στρατὸν λέγεις.

Cf. Cho. 137

aut duo participia:

Sept. 989 δοκοῦντα καὶ δόξαντ' ἀπαγγέλλειν με χρή.

aut duo indicativi:

Cho. 878 εἰδῶμεν, εἰ νικῶμεν ἢ νικώμεθα
1058 ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ.
Sept. 876 στένουσι πύργοι, στένει πέδον φίλανδρον

aut coniunctivus et indicativus:

Cho. 1017 ἀλλ' ὡς ἂν εἰδῆτ', οὐ γὰρ οἶδ' ὅπῃ τελεῖ.

§. 28.

Atque in universum frequentissima vocabula quae ex eisdem radicibus nata sunt, in eodem versu collocata sunt,[33]) sive antithesis gratia cum oratorio quodam robore inter se opposita, ut

Suppl. 190 πάτερ, φρονούντως πρὸς φρονοῦντας ἐννέπεις
382 οὐκ εὔκριτον τὸ κρῖμα· μή μ' αἱροῦ κριτήν
432 ὅπως δ' ὅμαιμον αἷμα μὴ γενήσεται

---

[33]) Quae exempla secundum locos illos Eustathii etiam in generibus figurae etymologicae numerari possunt.

Prom. 860 ἥξουσι θηρεύσοντες οὐ θηρασίμους
982 νοσοῖμ' ἄν, εἰ νόσημα τοὺς ἐχθροὺς στυγεῖν
Sept. 244 λέγοις ἂν ὡς τάχιστα, καὶ τάχ' εἴσομαι
1033 παθὼν κακῶς κακοῖσιν ἀντημείβετο
Eum. 555 κήρυσσε, κῆρυξ[34], καὶ στρατὸν κατειργάθου

Cf. Ag. 336, 940, 1356. Cho. 111, 899, 918. Eum. 592, 644, 683. Suppl. 366, 496, 859. Prom. 335, 463 seq., 734, 948. Pers. 747, 796. Sept. 11, 546, 634, 1033.

seu sine singulari vi consociata, ut in v. 86 seq. Sept.

ἰὼ ἰὼ θεοὶ θεαί τ', ὀρόμενον — κακὸν ἀλεύσατε
et 151 seqq. ἰὼ παναλκεῖς θεοί
ἰὼ τέλειοι τέλειαί τε γᾶς τᾶσδε πύρ-
γοφύλακες, πόλιν δορίπονον μὴ προδῶθ',

quae congeries superstitione illa Graecorum effecta est, qua moti in precationibus quam plurima numina vel omnes deos deasque appellabant, ne uno quodam neglecto preces irritae essent: quae res planissime cognoscitur ex his:

Sept. 91 seqq. τίς ἄρα ῥύσεται; τίς ἄρ' ἐπαρκέσει Χόρου ἡ Ε
θεῶν ἢ θεᾶν;
πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων; Χόρου ἡ ς.
Deinde Pers. 90 ἐχυροῖς ἕρκεσιν εἴργειν
Ag. 52 πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι
Suppl. 960 καὶ ταῦθ' ἅμ' ἐγγράψασθε πρὸς γεγραμμένοις
Sept. 79 μεθεῖται στρατὸς στρατόπεδον λιπών.

Cf. Suppl. 517. Prom. 426, 855. Pers. 164, 318. Sept. 455, 612. Cho. 580. Ag. 739, 776, 1564.

§. 29.

Quae cum ita sint, non mirum videbitur, si in continuata oratione saepius eadem vocabula reperiemus sive rhetorico quodam robore redintegrata, ut θάπτειν Sept. 1010 seqq., ubi Antigona minis praeconis nequaquam perterrita fortiter profitetur se omnibus invitis principibus magistratibusque fratrem

---

34) Simile exemplum Hom. Il. II, 50 κηρύκεσσι λιγυφθόγγοισι κέλευσεν — κηρύσσειν Eustathius τρόπον ἐτυμολογίας interpretatur.

mortuum humaturam esse. Ita legimus 1011 συνθάπτειν et 1012 θάψω et 1013 θάψασ' —

atque οἴχεται Eum. 121 seqq., ubi Clytaemnestra Furias excitat ad Orestem persequendum his quasi ironice dictis:

121 μύζοιτ' ἄν· ἀνὴρ δ' οἴχεται φεύγων πρόσω
et 124 seq. ἄγαν ὑπνώσσεις κοὐ κατοικτίζεις πάθος·
φονεὺς δ' Ὀρέστης τῆσδε μητρὸς οἴχεται

seu sine ulla vi repetita, ut

θεός in precatione illa Eteoclis Sept. 249 seqq., ubi etiam superstitione quadam repetitio illa orta est. —

At supersedere possum enumeratione ceterorum huiusmodi exemplorum, quoniam neque haec ad id, quod mihi proposui, pertinent et de huiusmodi exemplis Schmidtius[35]) satis disputavit. Maxime frequens est redintegratio eiusdem vocabuli in narrationibus nuntiorum, qui in universum epico sermone uti solent. Hanc excusationem habet repetitio ἄστρων Sept. 369 seqq., hac ratione Schmidtius (p. 658) Pers. 249 seq. iteratum πολύς defendit. Illis duobus locis addo Pers. 373 καὶ νὺξ ἐπῄει et 379 καὶ νὺξ ἐχώρει atque Sept. 631 σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι et 633 σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι.

§. 30,

Denique frequentissimae sunt repetitiones earundem vocum in diverbiis et stichomythiis: quibus locis nullum accommodatiorem esse ad iteranda vocabula supra cognovimus. Ita Sept. 228 seq., ubi chorus metu perculsus exclamat:

καὶ μὴν ἀκούω γ' ἱππικῶν φρυαγμάτων

dicit Eteocles quasi ironice

μὴ νῦν ἀκούουσ' ἐμφανῶς ἄκου' ἄγαν.

Cf. Suppl. 438 seq., 490 seq., 492 seq., 886 seq., 893 seq.

Prom. 66 seqq., 254 seq., 260 seq., 387 seq., 472 seq., 520 seq., 745 seq., 757 seq., 766 seq., 771 seq., 780 seq., 975 seq., 981 seq., 990 seq., 1001 seq.

Pers. 234 seq., 294 seq., 439 seqq., 725 seq. —

---

[35]) Zeitschr. f. d. Gymnasialw. N. F. II. p. 646 seqq.

Sept. 451 seqq., 606 seq., 682 seq., 689 seq., 786 seq., 1030 seq. —

Ag. 247 seqq., 257 seq., 516 seq., 560 seq., 1258 seq., 1303 seqq., 1372 seqq., 1622 seqq. —

Cho. 212 seq., 218 seq., 231 seq., 242 seq., 473 seqq., 516 seq., 753 seq., 881 seq., 884 seqq., 898 seq., 901 seq., 908 seq., 1048 seqq. —

Eum. 146 seqq., 413 seqq., 577 seq., 611 seq., 880 seq. —

Alia multa exempla, quae supra attuli, hic omisi. Iam vero perspicuum est veteres repetitionem eorundem vel congeneratorum vocabulorum in diverbiis et stichomythiis non modo non invenustam sed etiam consentaneam iudicasse.

Neque igitur quidquam erat quod Weilius paucis locis, ut Suppl. 493. Prom. 255, 767. Pers. 235. 295, 725. Ag. 1258. eiusmodi repetitiones tollere conaretur, quoniam plurimis locis facere non potuit quin iterationes retineret. Adde quod Aeschylus ne iis quidem locis, ubi nullo negotio sententias vel elocutiones variare poterat atque secundum praecepta recentiorum quorundam criticorum variare debebat, redintegratione earundem vocum abstinuit: quam iterationem uno saltem loco non dico non reprehendit sed etiam defendit idem vir, qui repetitiones illas reformidavit. Legitur enim Prom. 201 seqq.

ἤρξαντο δαίμονες χόλου
στάσις τ' ἐν ἀλλήλοισιν ὠροθύνετο,
οἱ μὲν θέλοντες ἐκβαλεῖν ἕδρας Κρόνον,
ὡς Ζεὺς ἀνάσσοι δῆθεν, οἱ δὲ τοὔμπαλιν
σπεύδοντες, ὡς Ζεὺς μήποτ' ἄρξειεν θεῶν.

„Sine iusta causa", inquit Weilius, „Nauck (Zeitschrift f. Alt. 1855, p. 111) versum 205 pro interpolato habet. Non aliena est ab Aeschylo haec orationis abundantia, cum praesertim factionum aequalitas simili quodam verborum ambitu exprimenda esset; neque pro verbis ὡς Ζεὺς μήποτ' ἄρξειεν θεῶν talia potius 'ut Saturno regnum maneret' desiderabis, si deleta virgula post σπεύδοντες, vocem τοὔμπαλιν adverbialiter accipias".

§. 31.

Postremo ut quae ex tota dissertatione collegerim, in pauca conferam: veteres repetitione eiusdem vocabuli non modo non offensi sed etiam delectati sunt: id quod maxime ex illis figuris apparet, quae geminationibus earundem vocum effectae sunt. Adde iterationes illas coniunctionum vel particularum ut καὶ — καί, οὔτε — οὔτε, μήτε — μήτε, ἤ — ἤ, εἴτε — εἴτε. Sequitur sermonis Graeci esse proprium eadem verba redintegrare. Ac quamvis concedam nonnullas repetitiones praesertim in clausulis vicinorum versuum inventas (vid. Heimsoeth. krit. St. p. 129 seqq.) librariis aut interpretibus deberi, tamen in universum iterationes earundem vocum a Graecis insuaves existimatas esse negaverim. Immo ut poetae nostri nos similitudine syllabarum vel vocum oblectare student, ita veteres ex repetitione eorundem vocabulorum mirificam voluptatem ceperunt. Atque tantum abest ut utraque aetas idem senserit vel probaverit, ut altera idem fastidiat quod altera ornamentum orationis habet. Constat a Graecis homoeoteleuta in universum vitata esse. Atque licet nonnunquam tragici vel scaenici quasi de industria sive ad antithesin magis acuendam sive ad sententias plenius pronuntiandas sive ad risum excitandum concentum quendam verborum adhibuerint, tamen illam vim, quam nos consonantiae finali tribuimus, antiquitati ignotam ne dicam alienam fuisse putandum est.

Vita.

Paulus Herrmanowski a. d. V. Kal. Octob. a. h. s. LI Saalfeldae, in oppidulo Borussiae Orientalis provinciae, natus sum patre Guilelmo matre Augusta e gente Karioth. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis domi et in schola privata imbutus anno h. s. LXIII Elbingae, in quam urbem parentes migraverant, gymnasium, quod sub auspiciis Adolphi Benecke adhuc floret, adii et usque ad tempus paschale anni h. s. LXX frequentavi. Quo tempore maturitatis academicae testimonium adeptus Regiomontum atque tribus annis post Berolinum me contuli ut philologiae operam darem. Quare per octo semestria scholis interfui horum virorum doctissimorum Regiomonti: Friedländer, Jordan, Lehrs, Nesselmann, Rosenkranz, Schade, Ueberweg, Voigt; Berolini: Bonitz, Curtius, Droysen, Haupt, Hübner, Kirchhoff, Müllenhoff, Steinthal, Zeller. Tum Berolini examine pro facultate docendi sustento et instituendi tirocinio annuo in gymnasio Friderico Guilelmo et schola reali peracto hic ad munus docendi in gymnasium Coloniense vocatus sum, ubi nunc praeceptoris ordinarii locum teneo.

Omnibus illis viris optime de me meritis summas gratias ago semperque habebo.

Theses.

1) Interest aliquid inter homoeoteleuta et homoeoptota.

2) Anaphora et epanaphora figurae non idem significare videntur.

3) Aesch. Cho. 991 legendum censeo

τὸν μητρός· Αἰγίσθου γὰρ οὐ ψέγω πότμον·

vel

τὸν μητρός· Αἰγίσθου γὰρ οὐ λέγω μόρον.

4) Soph. Oed. R. 817 seq. praeferendam esse puto coniecturam Nauckii

εἰ μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινι
δόμοις δέχεσθαι μηδὲ προσφωνεῖν ἐμέ

emendationi Dindorfii

ὃν μὴ ξένων ἔξεστι μηδ' ἀστῶν τινι
δόμοις δέχεσθαι μηδὲ προσφωνεῖν τινα

5) Eurip. Heracl. 736 εὐτυχοῦντά σε Vaticani servari posse existimo.